…ensis

Bytomski Ioannis Theatrum Marianum



THEATRVM MARIANVM,

QVOD

Ex prolixiſſimâ DEI & HOMINIS, in ſuam Caſtiſſimam Matrem, voluntate,

In nemore

LEZAYSCENSI

AD

Varias hominum ſortes depellendas expoſitum,

Et multis Miraculis ſpectandum,

Aſſiduis beneficiorum & gratiarum

perſonat Scenis.

A

M. IOANNE BYTOMSKI, Philoſophiæ Doctore, Eloquentiæ Profeſſore, Canonico Olycenſi, ad publicam lucem

ex luco per expreſſam Superiorum voluntatem

productum,

Anno à Partu Virginis M. DC. XLII.





CRACOVIÆ,


In Officina Andreæ Petricouij, S. R. M. Typographi.

†.

IN STEMMA
Fundatiſſimæ Familiæ.



It ratis, & curſu pertentat in æquore fluctus,
Aduerſos vnquam neſcia ferre Notos.
Credita teſtatur Patriæ ſibi pignora noſtræ,
Et ſobolem Themidis, deliciasq́; Ducum.
Iſta ſuam Regni metitur ſorte ſalutem,
Eſt quæ OPALINIAE *conſcia cymba Domûs.*



ILLVSTRISSIMO DOMINO, D. LVCÆ DE BNIN OPALIŃSKI,

Supremo Regni Poloniæ MARSCHALCO,

Lezayscen: Rubieſſouien: Kolen: Kamionacen: &c. &c.

CAPITANEO,

Domino & Patrono Ampliſſimo. S. & P.

T*HEATRVM MARIANVM, in quo, quid* MARIAE *nomen poſſit, quiduè per* MARIAM *in genus humanum impluat, frequentiſſimis ſpectatur beneficiorum & gratiarũ ſcenis; rudi, gratâ tamen & piâ ſermonis formâ, ad legentium cognitionem, ad præſentis ætatis lætitiam, ad futurorum temporum notitiam, publico expoſitum aſpectui, Tibi* ILLVSTRISSIME DOMINE *dedico, atq; conſecro. Quidni Tibi? vt qui naſcenti huius* THEATRI *Famæ pennas addidiſti: dabis Tuo fauore poſteritati ad deſcribendum huncce locum, velociorem & facundiorem calamum. Tu, vt Fama liberè de hac cœleſtis tituli arenâ loqueretur, animâſti eam, & vt haberet ad loci commendationem apparatum, prouidiſti: quin immò teneram adhuc & pubeſcentem, Tuo patrocinio erexiſti, recreâſti, excitâſti. Neque verò hoc* THEATRVM *faſtigiatis & latè patentibus tabulatis ſpatioſum; non delectâ comicè agentium perſonarum frequentiâ ſpectandum; non crudis oculis expoſitum eſt: ſed aditu facili, euentu felici, effuſâ Dei liberalitate glorioſum. Habet Orbis, quod in hoc* THEATRO *ſpectet, noſtroq; Poloniæ Regno ad aliarum gloriam felicitatum, hanc vel nobiliſſimam, quòd hoc (quanquam & alia tacere non poterit)* THEATRO MARIANO *inclareſcat, non inuitus addat felicitatem. Miratur in eo tot*

Diuinæ liberalitatis edita spectacula : suspicit, tot votis supplicantium hominum præsentem affuisse MARIAM: *dicit egregio & magnifico Tuo*, ILLVSTRISSIME DOMINE, *sumptu, excitatam fabricam, cum multis alijs, de gloriâ, de magnitudine, de nobilitate, domicilijs certare; nulliq; de suo in moliendo apparatu, in conficiendo artificum numero, in consistendo maiestate, in ornando venustate velle cedere. Ipsa verò posterorum ventura ætas, quàm erit diserta? quæ simul atq; beneficium loci agnouerit, multosq; eius ope ac nomine solutos periculis, è luctu & morbo recreatos censuerit, ac euictam malorum cohortem cōscripserit: Tuam gloriam in hoc religionis insigne, velut in sinū quendam, collectam adorabit, in eiusq; intuitum omnes Tuorū meritorum ac virtutum adumbratas imagines defiget, earumq; se in hoc* THEATRO MARIANO *præbebit spectatorem. Felix es,* ILLVSTRISSIME DOMINE, *tanto muneris & honoris genere, vt vbi humana, non personatos, nec laruatos, sed ex* MARIAE *ope, verè in se susceptos, induet vultus fragilitas: ibi Te ipsum, Tuam deuotionem, Tuos dignos & generosos spiritus, non ad popularis auræ nundinationem, sed ad Tuū in Dei Matrem, inq; ipsum Deum conceptum studium exhibendum, præbes contemplandos. Cùm huius* THEATRI *gloria, officij; cum eius commendatione, obsequij; cum felicitate ipsius, religionis Tuæ spectaculum coniunxisti. Nimirùm, Tuam ad summa huic regno datam mentem, non eò tantùm excitasti, vt in Theatro Reipubl: suam consilij, grauitatis, prudentiæ, sapientiæ, diligentiæ, industriæ, fidei, constantiæ, fortitudinis ostendat indolem; sed etiam in deuotionis* THEATRO, *Tuæ deuotionis, quam ex rectâ ineuntis ætatis institutione expreßißet, personam susciperet. Indignum putâsti, vt in hoc solo, quod Tuis meritis à patriâ tributum est, alij pietate ac studio luderent; solus Tu quiesceres, & taceres, nec ad egregiæ deuotionis exhibendum specimen prodires. Multorum solatio ex hoc loco exportato, Tuam liberalitatē adiecisti, & primus in hoc* THEATRO *tùm acceptâ gratiâ, tùm impensâ munificentiâ lusisti. Quin Tuum Gentilitium stemma ad hæc Virginis Diuinißimæ mænia, iniectâ fidei & pietatis anchorâ, admouisti, vt Nauis hæc, quæ Tuæ Fundatißimæ Domûs*

est insi-

est insigne, hanc solam in hoc turbulento vitæ statu suspiceret Cynosuram. Videris mihi hac auitâ & gloriosâ Naue, lapides, quorum æstimatio maior quàm illius velleris aurei, ad hoc magnificum Templi opus deuexisse, vt Tibi, Tuæq; Familiæ tutissimum excitares propugnaculum; defensionisq; contra omnes insultus erigeres municipium. Congessisti in hanc omnia, quibus Tui Maiores, præsensq; de BNIN *virorum ætas, atq; adeò Tuum nomen illustre est, ornamenta: reuocâsti, inquam, qui est huius Nauis honor atq; cultus, sub vnum aspectum & sellas Curules, & Clauas Imperatorias, & Lituos* MARSCHALCALES, *& Mitras Episcopales, & arma spoliaq; Equitum: vt defuncti cum æterna* OPALINIORVM *gloria honores, cùm ad eam felicem speculam accederent, pretium suum & dignitatem augerent. Expertam se Polonia testatur, ex hac Familia prodeuntium virorum, in consilio prudentiam, in legationibus fidem, in bello industriam, in pace comitatem, in religione promouenda studium, in ciuium bonis tuendis laborem: & quòd se liberalem semper in ornandis ijs præstitisset, ingeniosam se ac felicem gloriatur. Quæ enim fortuna fuit Reipublicæ vnquam, quæ Tuos, Teq; ipsum* ILLVSTRISSIME DOMINE, *non exerceret? quod fuit aliquandò turbatis Regni rebus tempus, in quo Tuorũ, Tuiq; ipsius virtus & ingenium non probaretur? quid est, quod non Tuam, Tuorumq; exploraret humanitatem? Viuit in Ecclesijs memoria: superstes est in sinu & gremio patriæ gloria: manet in ciuium vindicatâ salute opera: viget, æternùmq; vigebit, in literarum Academicarũ excitatis exedris nomen* OPALINIORVM. *Quocunq; hæc felicissima Nauis suum conuertet cursum, vbiuis locorum gloriosa, felix, nobilis audiet: nusquam prouehetur, vt non famam inde referat: nullo in loco consistet, vt non boni ominis & nominis vocem accipiat, suorumq; splendorum viuum recipiat testimonium. Omnes eam aduersantium animorum æstus verebuntur, nec spumantis inuidiæ in eam iactabunt fluctus: cùm gloriosè per hoc Imperij Poloni* THEATRVM *fecerit profectionem, & ad ruborem insurgentes Lauernarum motus conuerterit, superiorq; omni nefariâ liuoris molitione semper euaserit. Nunquam hæc in publico, virtute, fide, diligentiâ,*

tanquam fidißimis Remigibus, prouecta Cymba non est versata, nec suæ diffidens gloriæ, in obscuros se vnquam deducebat sinus: pericula Reipubl: motus domesticos, procellas Ciuiles, sibi pro Theatro, in quo suam constantiam, laborem, integritatem, probaret, strenuè proponens. Et verò ne Curialis tantùm lucis conspectu frueretur, etiam se ad THEATRVM *religionis promouit, in quo suorum deuotionem, & in rem Diuinam animos experiretur. Satis gloriæ, satis Tibi* ILLVSTRIISIME DOMINE *viuis, cùm in vtroq; tàm Politico, quàm Catholico, pro dignitate versaris* THEATRO. *Censuit iam Nobilitatis Polonæ* THEATRVM *Tuos ausus, Tuam virtutem notauit, Tuam fidem dilexit, Tuos conatus suscepit, Tua merita seræ posteritati committenda ornauit. Qualem verò Te hoc* LEZAYSCENSE THEATRVM *cognouit, Tua pro* Te, *apud Te, apud venturā ætatem de Te in hunc locum collata, disertißimè loquentur beneficia. Immò* Tu *ipse hanc Scenam ingressus, Orbi loqueris* Te *acerrimum religionis vindicem, Cœlo testaris,* Te *felicitatis æternæ dexterrimū Athletam, qui in hac exercendarum virtutum arena egregiæ mentis contentione exsudans, in illud, quod mereris & speras, Prytaneum Cœleste, ornatus auctusq; serò discedas. Et quoniam hunc felicem Lucum spectandum fecisti, cùm* Tuo *se Augustißimo Nomini insinuat; patrocinio, qui operâ & ope illi non defuisti, à me publicæ expositum luci, foueas: & me* Tuæ *gloriæ spectatorem, tàm liberali, quàm ego* Tuarum *virtutum admiror insignia, voluntate amplectere, precor: quem vt diu Ecclesiæ, Patriæ, Ciuibus, Familiæ, Literis, huic Virginis Castißimæ loco, seruet Deus incolumem, mei esse muneris censebo, supplicare.*

Illustrißimæ Celsitudinis Tuæ

Seruus & Cliens,

M. Ioannes B tomski, Philosophiæ Doctor, Ordinarius Eloquentiæ in Collegio Academico Olycensi Professor, Canonicus Collegiatæ Olycensis.

PROLOQVIVM AD

BENEVOLVM LECTOREM.

MOris est Theatrorum instructoribus, & ludorum præfectis, totám futuri spectaculi seriem, sub vnum aspectũ multitudini hominum spectandi gratiâ effusorum, proponere. Hinc vel Imaginum rei agendæ in tabula non minùs ingeniosè, quàm compendiosè expressam exhibent: vel in quendam sinum collectos tractandarum Scenarum tractus contrahunt, legendosq; Auditoribus offerunt: vel succinctos præmittunt prælocutores, quorum officio & præsentis negotij rationẽ edoceant, & tædium atq; fastidium animis eximant, & dignitatem actionis commendent, quæ facilè omnes ad huiusce rei tribuendum tantum, quantum postulet, tempus, deducat. Idem mihi Tui gratiâ, Lector humanissime, faciendum visum est, vt qui THEATRVM MARIANVM Tibi, Tuisque ad spectandum paraturus essem, hoc vulgari & communi genere metri, ad cognoscendum & intelligendum, humani commodi susceptam Diuinæ gratiæ molitionem sum complexus. Leges pro Tuâ in MARIANVM nomen pietate, in me humanitate, measq; literas officio, lætus: tantiq; pro Tuâ prudentiâ beneficij gratus Deo manebis, & cognito spectaculi merito, ad agendam supplicis personam, ad eam sacram Arenam, si necdum fecisti, excurres. Fidem dabis, hostes Matris nostræ Ecclesiæ Romanæ confundes, MARIAM celebrabis, Deum obseruabis, meum laborem à Lauernarum vibicibus defendes. Vale.

Canat LEZAYSCVM *gloriam,*
Et voce laudet Virginem,
Ex qua redemptæ, prouidus
Author, salutis prodijt.

O sylua

O sylua felix! fertilis
O sylua! dic laudes Tuæ
Quæ Te reuisit Hospitæ,
Suisq́ pressit calcibus.
Nec ora, nec vultus, faces
Nec clariores luminis
Videre poteras, nec vice
Maiore dignari Nemus!
Producis vmbras arborum
Fesso viatori vtiles:
Non hoc Tibi nomen dedit
Insigne totâ Lechiâ.
Focis alendis proficis,
Cùm subministras stipitum
Sarmenta; frondes deijcis,
Quas curiosa plebs legat:
Concedo. Sparge largiùs
Vmbram peregrino Tuam;
Et colligenti suffice
Frondes inanes rustico.
His namq; copijs Tuis
Syluestribus, cælestium,
O sylua felix! munerum
Nobis vocâsti gratiam.
I rumor, auras verbera
Segnes ad istam gloriam,
Et voce gentes vltimas
Ad Virginis laudem excita.
Dic: Norma Virgo virginum
Et Mater Æterni Dei,
Dignata per lucum suo
Iuisse LEZAYSCI *pede.*
Quid? Hîc vbi saltus rigent,
THOMAE MICHALKONI, *anxiè,*
Vitæ leuandæ gratiâ,
Arbusculorum mortuos

Fœtus

Fœtus legenti cum prece,
Laboriosus quam Deo
Inter labores, fundere
Simul solebat impigrè,
Ter visa Virgo, splendida
Vultu, colore, vestibus,
Totoqué cultu corporis,
Adstante grandæuo sene.
Dignata rusticum suo
Sermone. Simplici viro
Hæc, quæ stupenda sentimus
Agenda, mirum! credidit.
Nobis iuuandis commodum,
Hunc Virgo prædixit fore
Locum, sui demùm addidit,
Templum futurum, Nominis.
Ad Oppidanos Consules,
Hunc Virgo fecit nuncium,
Indigna passurum mala,
Tormenta, verba, verbera,
Custodias, satellitum
Vim, compedes, vinctas manus
Ferro, potest vel insuper
Quicquid scelus confingere.
Sed multa sumpseris licet,
(Virgo refert) nil senties,
Fallesqué custodum fores,
Virtute protectus meâ.
It, paret, atque nuncium
Agit futurorum. Suis
Non creditur verbis, fides
Negatur, vt rebus nouis.
Non cessat: hortatur, loci
Non neglegendam gratiam:
Occasione perfrui
Debere tam piâ monet.

Intrat

Intrat domum Proconſulis:
Quæcunque vidit edocet:
Ac veritatem prouocat,
In nuncij ſui fidem.
Multum datum eſt verbis. Opus
Feruet LEZAYSCI *Ciuium,*
Vt luce primâ Crux Dei
Paßi, labore ſurgeret.
Plebs grata tanti muneris,
Peroſa cultum ciuilem,
Deuotioni ruſticæ
Se deuouet, ſyluis vacat.
Iniqua, WYSSOGROD *putat,*
Plebis piæ certamina.
Dat fræna, dementans equo,
Et ſupplicantem corripit
Plebem, flagello amens crepat,
Diris, & oppido vouet,
Et Concionis principem
Quærit: repertum verberat:
Trahi iubet: duci ſecus
Equum ſuum, quo inſederat.
Quicquid furoris cogitas,
THOMAS *id omne ſuſtinet.*
Præſes Sacerdotum fuit,
Viſum ſcelus reſiſtere.
Vt quiſq; certauit prece,
Sic quiſq; certauit fugâ.
Idem regreſſus omnium,
Sed exitus diſpar fugæ,
Nam cæteros ſui lares
Habent auiti transfugas:
THOMAS *tenetur carcere,*
Opprobrio rependitur
Naſcentis inſtitutio
Deuotionis, ô ſcelus!

THEATRVM MARIANVM.

MAgnum quidem, pium tamen, & fidelem, qui in beneficijs maximè solet perspici referendis, grati & memoris animi obsidem, video me esse ingressum laborem, A. O. Cùm enim id, quod Deus in Templo famâ & miraculis insigni ad LEZAYSCVM erecto, per Virginem MARIAM operatur, agendum oratione suscepi: audacia facti, poterit apud quosdam nomine temeritatis esse suspecta; ipse verò conatus, qui recto consilio assumptus cum laude committetur, vix mihi reprehendendus videtur. Nec verò putet aliquis, me hîc cum Isocrate, quem timiditas in dicendo inutilem faciebat, decem millibus mercari audaciam? nec vesano eiusdem impetu aliquam à me quæri victoriam vllus præsumat; cùm ea soli bello prosit, alteri vulgari rei nullam præbere soleat vsum: sed qui laborioso Professionis fungor munere, subsidio mihi paratâ diligentiâ, etiam in ijs, quæ vt meritò magna sunt, magna esse censentur, conári præclarum existimo. Satiùs est Auditores, vt gratus aliquid dicam, quàm ingratus tantam loci LEZAYSCENSIS dignitatem, cùm per otium & Vota hominum licet, infami supprimam silentio. Nihil de ea, quæ salutis hominum Authorem Deum Castissimo gessit vtero, dicentem, mea me, vt potè qui eiusdem humanæ felicitatis ætate & beneficio fruor, conditio; & quiduis adeundi facultas per talem impertita Virginem, nisi eam de mereri neglexero, coargueret: aliquid tamen in publicum afferre, & vestrûm omnium, atq; adeò totius orbis fortuna, & priuatarum mearum rationum cogit atq; iubet necessitas. Est quod consoletur me in tam singulari, & eximio negotio, cùm ea mihi dicendi materia oblata sit, quæ eam rem, cuius non solùm ad me, sed etiam ad omnes, commoda possunt defluere, in omnium producit aspectum, orbiq; id, quod felix illa suspicit area, manifestè declarat. Semper ego à Superis optabam, & ex animo precabar, vt ei aliquando Virgini, quæ ætatis meæ tyrocinia inter Musas agi, tractari, informari, institui, consumi debuisse aduertit, in puluere scholastico sudantem clementer habuit; inter longas dierum noctiumq; curas, & vigilias somnum excussit, tædium amouit, feruorem auxit, & vtrâq; panathæneorum lauru in comitijs Academicis (quæ sua in me fuit benignitas) ornatum sustinet, in Olycensis Lycæi exedris facilitatem, constantiamq; laboriosæ Professionis conditionem arrepto animo

impe-

impetrat; huic inquam tantæ, tamq; munificæ Virgini, & Patronæ literarum mearum, fructum aliquem studiorum meorum afferrem. Immò verò hæc quæcunq; in me est, quæ vt esset aliqua semper laboraui, dicendi vis, non tam Troporum schematumq; in quibus totam Oratores posuerunt sermonis dignitatem, & orationis contentionem, præsidio, quàm Deiparæ disertè intercedentis pro meo bono & dicendi laude, singulari ope succrescit. Et, si referendæ gratiæ magna semper habenda est ratio, vt id, quod cuiusquàm munere acceptum sit, non frustra oblatum appareat: prouidendum semper mihi fuit, ne hac principe ingressa & suscepta disciplinæ meæ ratio, nomine ingratitudinis me aliquando notaret. Quòd si ea, quæ de eius loci origine & nobilitate ad me delata, studiosè intellecta, & accuratè cognita sunt, non eo, quo in tantæ rei grauitate longè digniùs alia contenderent ingenia, studio in omnium aspectum essem producturus: non arbitrabar tamen in tanto laboris instituto mihi esse diligentiam meam pertimescendam. Multa sæpè homines patriæ faciunt amore, & nullum est ita arduum negotium, quod non is, in quo vagientes fletum expressimus, ludentes fictiles vrbes excussimus, quem hausimus, cepimus, pressimus, aër, tametsi vitæ ipsius discrimen immineat, ineundum suadeat: me meus, quem duodecimus ab hoc Virginis Beatissimæ domicilio distinguit lapis, natalis locus, nisi tantùm mihi in succisiuas reseruâssem horas priuati, quod tamen ad publicam spectaret notitiam, studij meritò increpâsset. Quid verò mea hæc ætas, quâ hic MARIANVS locus honorificentissimè apud me audit, mihi suggerit aliud, quàm vt loci gratiam, & egregio excitatam opere Basilicam, Conuentûsq; toti Orbi spectandam fabricam, suis definiam encomijs, & quæ fuerint sua incunabula incrementaq; exponam. Admiremini mecum A. tantùm loco huic diuinitùs datum beneficium, & me de tanto Virginis in nos officio dicentem, LEZAYSCI, atq; adeò totius Poloniæ felicitatem suspicientem humaniter excipite. Faciam, vt omnes, quæ origo, qui cultus, honor, fortuna, gratia LEZAYSCENSIS deuotionis, quæ hominum de ea existimatio, quæ fides, quæ gloria sit, intelligant; & Diuæ Matris ac Virginis, pro tantæ rei grauitate, nomen & studium iuuandi homines, iustis ac debitis officijs prosequantur.

Etsi multa & grauia sunt, Dei Optimi Maximi munere ac beneficio, in humanum genus liberaliter effusa, Aud: O. quæ non minùs corpori ornando, quàm animo supra cælestes Ordines, quæ maxima ipsius felicitas est, extollendo, & vsu, & naturâ suâ obseruiunt: hoc tamen maximum est, tùm ad felicitatis nostræ possessionem certiùs adeundam, tùm ad vitæ huius, quæ breuis eaque incerta est, suffragia o-

gia opemq; fideliùs implorandam; quòd Dei Matrem Patronam nobis datam agnoſcamus, colamus, obſeruemus. Plurimùm Deus noſtræ conſuluit ſorti, cùm ſaluos eſſe nos voluit, humanum hoc & infirmum corpus aſſumpturus: cùm indigniſsimâ ſuâ morte, perditiſsimorum hoſtium, qui in ſalutem noſtram impunè bacchabantur, & inſolentiùs inuolabant, manifeſtæ audaciæ vim atquè conatus, funere, ac exitio horrendos compreſsit: cùm nos ex aſſe hæredes poſtliminio reuocatæ patriæ, & meritis noſtri Seruatoris reſeratæ, pronunciauit: cùm nobis ad omnes armorum & hoſtium incurſiones obtundendas, fortem & validam Pacem dedit ſuam, reliquit Pacē: ſed cùm Cynoſuram hanc noſtro æſtuum ac procellarum pleno alto præfecit, hæc omnia beneficia ſingulari beneficio cumulauit. Etenim ſi acceſsio hæc, quam Deo acceptam grati referimus, & animum glorioſè eleuamus, bonorum, quibus fruimur, grata & iucunda eſt; quâ id, quòd faciles ſimus in ijs adeundis, Duce & ſoſpitatrice habemus, eius ipſius nomen & authoritatem à noſtris alienam cenſebimus commodis? Inuenit hanc Deus dignam, quæ & talem genuiſſet Filium, & hominum, quin perirent, & metu conciderent, fuiſſet ſubſidium. Quippè, quoniam noſtræ conditio vitæ, nutanti & lapſuræ ſimilis arbori, ac fluctuantem, & iam iam perituram naufragio per omnia referens nauim, aſsiduis agitur malis & periculis: cùm talem ſortita eſt Helicen, ſperat ſe in portu felici, & optato lætum daturam Celeuma, nec tali ac tantâ Patronâ Præſide, ſe ſuaque ad exitium peruentura importunum. Et certè noſtræ menti cælitùs quidem hauſtæ, ſed limo terræ depreſſæ, pronitate in malum ſauciatæ, noxarum ſibi conſciæ, aditu Dei Maieſtatis deprecandæ trepidanti, niſi à miſericordia Dei, eius interuentio & patrocinium contigiſſet, cuius preces apud Deum Filius non ſinit eſſe irritas, à ſpe aliquid impetrandi facilè excideremus. Eſt quod nobis, Aud: O. gratulemur, eſt quod nobis gaudeamus; talem enim nacti ſumus Patronam, quæ vltrò nos ad pietatis, continentiæ, iuſtitiæ Chriſtianæ diſciplinam inuitat, ſpontè ſuam opem confert, & nobis aliquando nihil de Deo, nihil de ſalute animi cogitantibus, & in vitiorum conſuetudine inueteratis, implorat cognitionem errorum; immerſis mundi lenocinijs, memoriam pœnarum; deſperatis, ſpem & fiduciam ſuggerit fidelem; ad ſcelerum deponendam ſarcinam comiter exhortatur. Non deſunt quidem nobis, ab ipſo etiam Deo, ad virtutem amplectendam, ad enormitatem vitæ, & feritatem morum relinquendam inſpirationes, quibus animus noſter, conſcientiæ ſcrupulo ſtimulante, pungitur, & ſollicitatur: hæc tamen, vel quia tardè, quod eſt ignauiæ, obſequimur; vel quia penitùs, quod temeritatis

eſt, negligimus; vel quia defixi alijs negotijs, non attentam occultis Dei monitionibus præbemus mentem, differimus, experimur de noſtrâ ſalute MARIAM impensè ſollicitam. Cùm enim proſpiciat noſtram vſque adeò fragilem eſſe naturam, vt ipſa ſe viribus, ac operâ ſuâ, non poſsit erigere; ita multa nobis inſidiari, vt cuniculis malorum vix explicari liceat; ita mutationum formas frequentes obuerſari, vt nulla ſuperſit ratio, quæ tantæ viciſsitudini rerum ſubuenire valeat: noſtris illa rebus tantò ſtudioſiùs proſpicit, quantò minora nobis à natura parari, ad euadendum, videt præſidia. Felices nos, qui ad omnium temporum, & locorum, pericula remouenda, calamitates auertendas, hanc ipſam, quæ concordi piorum animo, ſpes certa miſerorum, leuamen oppreſſorum, Mater Orphanorum, medicina infirmorum, anchora ſalutis audit, Virginem & Matrem facilem inuenimus! Sed eò huius Virginis gloria & maieſtas, grauior & amplior eſt, quò non hominum tantùm neceſsitati, ſed etiam ſpirituum, ab omni contubernio corporis ſecretorum, amplianda dignitati præſidet. Nimirùm ſupra Choros mentium beatarum euectam, & cum glorioſo corpore in felicitate illâ æterna, quâ omnes beati perenni æuo perfruuntur, in ſplendoribus meritorum conſtitutam, atque adeò hunc, in quo mortalem adhuc nos vitæ ſtationem agimus, & temporalia ſtipendia meremur, Orbem calcantem & ſuſpicientem, eaque, quibus nos gloriamur, & ſummo ſtudio ac ſollicitudine conquirimus, liberaliter diſponentem, omnium demùm excedentem prærogatiuas, alicui ita deeſſe, vt ſe ab ea deſertam iure queri poſsit, nefariè putabimus? Næ fruſtra id, quod huius tantæ, ac tam immenſæ Diuæ ope ſe deſtitutum luget, & ſpiritu hoc communi fruitur, & ſuorum computat momenta dierum. Quis enim eſt in tanto rerum humanarum motu, qui hoc in ſcopuloſo vitæ ſtatu, ad ipſam præſentis funeris ſpeciem alliſam nauim, ſuiſque ſe reſoluentem compagibus, à naufragio liberet, ac quominùs pereat, ſecundam poſt naufragium tabulam ſupponat? qui obſeſſores viarum exanimet? qui efferatos animos, & ad cædem paratos emolliat? qui tectis ſubiectos propè iam ignes, circumdatoſque, reſtinguat, idemque gladios è vaginâ eductos retundat, mucrones hoſtium à iugulis noſtris reijciat? qui omnium periculorum metu ſoluat officioſiùs, quàm hæc, qua de agimus, Virgo? Huius nos gratiâ, operâ, ope, conſilio, ſollicitudine eorum omnium, quæ noſtram appetunt ſalutem, incredibilem vim ac tempeſtatem euadimus: huius ſummo erga humanum genus amore, quidam noſtrûm ex flamma, alij ex ferro, plerique ex hoſtium carcere, plurimi ex faucibus fati ereptos, nonnulli ſe conſeruatos profitentur. Neque verò tantum

poſitum

positum est in rebus,quibus tenerrimè apud nostros blanditur sensus, fortuna, adiumentum, quantum in vnius huius præsidio situm locatumque, nostra sentit Panegyris. Tu agris, tu ædificijs, tu argento, tu familiâ, tu rebus omnibus ornatus,& copiosus sis: & contra omnẽ vim sceleris ac malorum, subsidio tibi hanc non compares Virginem, es mihi inops, turpis, mendiculus, perditus. Cùm enim ab hac & Angeli gloriam, & bonæ animæ felicitatem, & Vrbes propugnaculum,& Imperia patrocinium, resque omnes consistendi rationem, modò eam expetiuerint, accipiant: tibi illa vni, inter tot formas mortis afflicto, imbecillo,præsentem se non laturam testaretur auxilium? Anselmum audi: & tuam in id, quod maximum & vtilissimum est, induces mentem, & fidelissimum Virginis præconem ex orationis contentione aduertes: *O fœmina*, inquit, *mirabiliter singularis, & singulariter mirabilis, per quam elementa renouantur, Angeli redintegrantur, inferna eneruantur, homines saluantur! O fœmina plena, & semper plena gratiâ, de cuius plenitudinis exundantiâ, respersa resultat omnis creatura! O Virgo benedicta, per cuius beatitudinem benedicitur omnis creatura, & non solùm creatura à Creatore, sed etiam Creator & creatura laudatur! O* MARIA *dulcissima semperq; beatissima, si omnis peccator ad Te conuersus, & à Te conspectus, impossibile est, vt pereat.* Quid? etiam ipsis elementis nouam quandam sufficit, nostræ salutis Assertrix, formam & speciem: etiam ipsis Angelis nouæ perfectionis accessionem producit; etiam ipsi inferno, inferniique improbissimis Ciuibus, languorem,ac roboris defectionem imponit: nedum ipsi homini eam, cuius vindicem fortissimum integerrimâ suâ gestauit aluo, salutem importat, impetrat, amissamque restituit. Fælix ætas, quæ talem, ac tam munificam tulit Viraginem? sed magis est felix tempus illud, quo se ad leuandos animi & corporis defectus,& quasuis maleferiatorum abigendas impetitiones, hæc eadem liberaliter inclinat? Quoties nos hanc benignam, quoties hanc Patronam experti sumus? Quot nos hostium tela, ita coniecta, vt vitari potuisse non viderentur, paruâ quadam declinatione, eius consilio, curâ, & prouisione, effugimus? Nihil suscipiendum putat, nihil agendum suscipit, nihil molitur, quod nobis non conducat in tempore. Quoties iam, quoties iam extortum est telum de nostrorum hostium manibus? quoties eorundem sica excidit, & quasi casu aliquo excussa, quoties elapsa est? quoties in confertas malorum acies, & horrendas tempestatum species, ipsasque funestæ mortis imagines, indiscreto & ferali infortunio abacti, supplices manifestam non explorauimus suffragantis Diuæ præsentiam? Non se in commercium & societatem felicitatis, quâ nostra nunc

ætas gaudet, ingerat vetuſtas; non habet, quo certet cum noſtra fortunâ, cùm nec habeat, quo nouercantis fortunæ, vel effugiat, vel retundat fatales ictus. Cuius certâ vtatur operâ, & cuius auxilium ſuis adeſſe votis impigrè ſentiat, cuiuſuè præſenti glorietur Numine, non inuenit. Suis illa delubris, ne quicquam, res, fortunas, familiam, clientelas, ſalutem, vitam cuſtodiendam, defendendam committebat: cùm ſuperſtitioſam aggreſſa deuotionem, votorum ſuorum irridendam confingebat rationem. Quin ipſis illis veteribus & ſummis viris, tantæ vanitati infeſtis, mouerunt ronchos, & incitârunt ſtomachum, fictilium Deorum imagines. Cùm in Samotraciam veniſſet Diagoras, & quidam ei amicus dixiſſet: Tu, qui Deos putas humana negligere, nonnè animaduertis ex tot tabellis pictis, quàm multi votis vim tempeſtatis effugerint, in portumque ſalui peruenerint? Ita fit, inquit: Illi enim nuſquam picti ſunt, qui naufragium fecerunt, & in mari perierunt. Felix eſt noſtra Polonia, (hanc mihi ſolam liceat nunc vſurpare, cùm nomen Patriæ ſacrum haberi ſoleat, quanquam nihil obſit inclamare; Felix eſt totus Orbis) quæ MARIA Præſide, omnium locorum pericula non veretur! Montium præruptas fauces in præcipitium inclinatas, ratio ſuadet metuendas; eſt Præſes Montium, in Monte Claro, noſtra Diua: fluminum vorago, & volubiles vortices corporibus infenſi ſunt noſtris; eſt Præſes, quam ripa Sokalienſis fluuij impenſè veneratur: horror arborum & ferarum ſyluas ingredi vetat; eſt Præſes, quæ noſtrâ ætate, ex ſaltibus arenoſis, arenæ multitudine locupletior & beatior Virgo, LEZAYSCENSI peripheriæ ſeſe obtulit, & veluti Polona Diana, apros conficere, vrſos cedere, Leones, noſtrorum potiùs animorum lenones improbiſsimos, perditiſsimoſque latrones proſternere potens, Polonæ prodijt genti. Neque verò me quiſquam putet ſuperſtitioni veterum annuere, cùm etiam Polonis (qui ab omni ſuperſtitione abhorrent, & veræ fidei lucem cum MIECISLAI luce ſuſceperunt, ſuſceptamque nullâ gentilitatis obſcurant caligine) Dianam eſſe prædico: Analogiam nominis vſurpo, non veterum errorem ſequor, qui Præſidem ſyluarum Dianam Deam fecerunt, Deoque ipſi debitum ac meritum honorem, ſuperſtitioſo tribuerunt figmento. Nobis non ea vis animo, nec tanta ſuperbia mentis, vt pro arbitrio, & fucatâ quadam religione, ſimulachra nobis Numinum cõfingamus: nec Dianam Deam, nec MARIAM Deam appellamus; vtrumque fidei noſtræ repugnat, vtrumque ſuperſtitioſum eſt: ſed Dianæ nihil ex hoc, quod ei ab antiquitate tributum eſt, concedimus; MARIÆ omnia, exceptâ Diuinitatis opinione, & appellatione, tantò lubentiùs referimus, quantò certiori nos vnum eſſe Deum naturâ, diſtinctũ perſonis,

Bruſ: lib: 7. ca: 15.

Anno D. 966.

Virg: 1. Æn.

personis, fides edocuit argumenro. Fecerit sibi pro arbitrio antiquitas, Vrbium, & Regnorum Præsides Deos: fuerint sibi multæ, pro errorum & rerum multitudine, Deæ, præfecerit alias mari, alias continenti, in syluis domique alias, & in dies pro more suo nouas confinxerit Deas, suorum pellices Deorum. Felicius multò nostrum est sæculum: quod & maris fluctus, & terræ obsidiones, & syluarum latrocinia, & aëris intemperiem, huius vnius Diuæ ope & præsidio euadit, eludit, declinat, moderatur. Hac sociâ & Dominâ, omnium locorum & temporum pericula restinguimus; nec nobis est alia quærenda ratio, quâ vel proficere in bonis, vel in Diuinam ingredi gratiam possimus, quàm ea ipsa, quam Deiparæ beneficio habere, si modò voluerimus, possumus. Cui hæc, in mari naufrago, aut quouis in alio periculo de fuit? quis eius implorans opem à conspectu exitij simul & sepulchri, quod sibi vndarum motus aperiebant, saluus non euasit? quis vnquam aëris inclementiam & pestilentiam regionis, Vrbis, Coloniæ alicuius, Deiparæ munere auersam non sensit? Erat triste tempus, quo grauissima pestilentiæ vi inualescente per omnes Romanæ vrbis partes, feralis grassaretur lues, omnia funestarētur, tristis lachrymantiū & dolentiū esset facies, perpetuæ Cenotaphiorū eminerent moles, atrati aspectū deterrerēt parietes, passim lucerēt sepulchrales faces, monumēta hiarēt, omnia luctu, squalore, sordibus replerētur, & repentini amicorū ac sociorū excessus quererētur, nec sufficerēt defossa, morientium numero, sepulchra. Dolor & tristis tantarum rerum aspectus suffecit consilium, vt quoniam id, quod in pulcherimmā illam vrbem & domicilium totius Orbis funesto inuectū esset spctaculo, suis ciues peccatis inuitatū, sentirent & viderent: eius patrociniū, quæ humanas agere apud Deum causas consueuit esse implorandum censerent. MARIAM omnes approbârunt inuocandam, & tanti mali furorem per MARIAM deprecandum. Summus Vrbis & Orbis Præsul D. Gregorius, pro ea, quam perrenni successione accepit in Ecclesiam authoritate, publicam instituit supplicationem, in qua Imaginem purissimæ & integerimæ Virginis efferri & præferri iussit, vt quo die CHRISVS resumpto suo glorioso corpore suæ Genitrici & suorum discipulorum agmini sese exhibens, cōsternatos eorum recreauit animos: eodem deuotioni huic decretæ, ad suæ Matris vota, ad sui afflicti populi supplicationem, conuersus tanta & tam tristi vrbem contagione solueret. Atq; hoc deuotionis institutum, omnis effusa populi Romani multitudo, tantò studiosiùs obiuit, quantò maiori calamitate in dies affligeretur, & minorem suorum suspiceret numerum. Quæ certè ita consentientium animorum deuota panegyris, tantùm suis præstitit officijs, vt illam in lu-

gubri diminutione sociorum & calamitate Reipublicæ institutam deuotionem præsenti Deus mox comprobaret auxilio. Quid? illi suæ Matris Imagini talem impresit virtutem, vt quàcunquè ferretur pestilentis cœli grauitatem fugaret, ac optatâ aëris salubritate fæcundaret. Ad quod leuandis aëreâ inclementiâ corporibus ita liberaliter impertitum beneficium, accesit Angelorum faustâ acclamatio, & quasi gratulantium, Resurgentisquè CHRISTI gloriam deferentium, suauiter in aures influens paramytheticon:

Regina cæli lætare, Alleluia.
Quia quem meruisti portare, Alleluia.
Resurrexit, sicut dixit Alleluia.

Præsenti beneficio D. Gregorius recreatus, & diuino Spiritu afflatus subiunxit illud, quod nos deuotè frequentamus: *Ora pro nobis Deum, Alleluia.* O dolor! quàm potens es in consilio! vno plus efficis ictu, quàm millium armorum assequerentur labores: immò tibi satis diserta est minima quæquè castigatio, quâ vtilem insusurras disciplinam. Tuo nisi quis paruerit ingenio, nec suarum rerum Patronum, nec salutis vindicem, nec virtutis obsidem, nec periculi assertorem vllum, ad se tuendum, seruandum, colendum, declinandúq; inuitabit. Sed hoc mihi afflictis animis officiosior es, quò frequentius ad primum discriminis aspectum, deuoto gregi IESVM & MARIAM inuocandos offers. Nescio enim Aud: O. quî id fieri soleat, quòd cùm aliquod aut virtutis, aut vitæ imminet latrocinium, nobisquè manifestam salutis, & gloriæ, casus intêpestè obortus, minatur iacturam, quasi quodam interiore animi motu & suasu admoniti IESVM & MARIAM inuocamus. Absint confertæ acies, quæ à nobis hostile reijciant ferrum: nullam nobis spem funestum euadendi periculum hominum præsidia & vires inferant: infensos omnium experiamur animos, nec vlla res sit, in qua tutò nos saluos ac integros reponamus; ab omnibus relinquamur, omnia subsidium nobis denegent, & nihil sit, quod in periculo casuuè aliquo arripiendum & suscipiendum videatur: non tam hæc pro rei opportunitate à nobis expetentur, quàm vnicum salutis tuendæ præsidium IESVS, & eius Diuinissima ac sanctissima Genitrix. Summa vis, in vtroquè hoc nomine, seruandi hominis posita est: maximum nobis hæc duo Nomina, ad quorum recordationem, quid quod ad præsentiam? totus contremiscit infernus, & omnium excedit copia malorum, suppetunt adiumentum. Et verò si naturæ nostræ rationem inspicere voluerimus, vt quæ facilitate suâ toties in Deum delinquere soleat, erigere se & colligere vires non audet: facilitatem suam in peccando, facilitate adeundi Beatissimæ Virginis opem, compensat. Nam si inter nos

ter nos diſcrimen animorum & ſexûs datur, vt non eodem omnes fe-ramur ſtudio & ducamur officio, neque comparem natura omnibus ſubueniendi aut deſerendi importet in dolem; mollem dicimus aë-rem mulierem; virum vi & viribus præſtare loquimur; à viro Ca-tonicum ſperamus rigorem & crudæ Virgam cenſuræ; in muliere ſi non auxilium & vires, lacrymas certè, noſtro malo elicitas, inueni-mus promptas & faciles: profectò, quoniam IESVS & MARIA cõſortium humani corporis æquo iure ſuſceperunt, meritò in dificili & graui aliquo infortunio MARIAM, tanquam iuuandis nobis pa-ratiorem & faciliorem, imploramus. Induit quidem humanitatem Deus, vt ſibi hominem ſupplicem & voti compotem faciat, & ſuâ præueniat gratiâ: nobis tamen, Auguſtiſsimæ ipſius Maieſtatis ſplẽ-dor, pium incutit terrorem, quo aditu tanti Dei, in quem deſiderant Angeli proſpicere, prohibemur. Noſtrâ causâ id fieri ſolet, quòd Di-uinum adire aſpectum non audeamus: nos ipſi vitiorum oppreſsi mole nihil in nobis inuenimus tale, quod Deum ad impertiendam nobis veniam & gratiam prouocare poſsit. Mereri vitâ & virtutibus opus eſt, vt cæleſtium bonorum potiamur: merita conciliant De-um, ac munificentiſsimam eius aperiunt manum. Vis excidere gra- *Auguſt: in Pſ. 31.* tiâ? iacta tua merita. Merita habere cures, habita data noris: fru-ctum ſperes miſericordiam Dei. Et quoniam difficile ſit ſtatuere, *Bern. ſerm. 58* quo apud Deum ſit numero aliquis noſtrûm, præſertim inter tot hu- *ſup. Ca.* ius vitæ ac viæ pericula, & in eo incolatu, in quo ſufficit ad meri- *Bernar.* tum, ſcire, quòd non ſufficiat meritum; eorum nobis ſubſidio para- *ſer. 68.* mus opem, qui hanc mortalis ſuæ ſtationis emenſi arenam & luctam ſuorum momenta meritorum cœlo expoſuerunt; vt non ſuâ, ſed CHRISTI nobis bona exhibeant. Quæ enim beneficia Diuorum Diuarũque ſuffragio referimus; ea omnia CHRISTI ſunt; nec quic-quam ab ijs petimus, quod non à CHRISTO efflagitetur, qui in ſin-gula quidem momenta noſtris impensè proſpicit rebus; ad plura ta-men votis noſtris offerenda beneficia non niſi noſtris precibus vel ſu-orum ciuium meritis & ſuffragijs adducitur. Nihil aliud à Sanctis expectamus, nihil aliud ſperamus & poſtulamus, quàm quod à Deo nobis impetrant, vel quod per eos impertiri & elargiri Deus ipſe di- *D. Aug. Pſ. 139.* gnatur. Meritis ſuis nihil tribuunt Sancti: totum non niſi miſericor-diæ tuæ tribuunt, ô Deus, contendit D. Auguſtinus. Et ſi amico-rum hominumuè magnorum fauores ac beneuoli animi affectus aſſequimur citius, cùm non ipſi petimus, ſed plures nobis in ſocie-tatem votorum adiungimus: *Quoniam multorum preces, impoßibile eſt* *D. Amb.* *contemni*: nos certe cũ præſidio nobis cælites, quorũ *preces plus valent,* *de pæni.* *quàm arma*, cõparamus, ipſorũq; obteſtamur fidẽ, cum pluribus ro- *D. Chry. de ieiun.* gamus,

gamus, quo fit, vt faciliùs poſtulata obtineamus: quàm ſi ipſi preces fūderemus, & quæ non profūt ſingula multa iuuāt. Reus erat maieſtatis apud Saulem patrem Ionathas, ſuæ preces eum morte certiſsimâ non eripuiſſent; quem tamen liberauit oratio proſtrati ante Regem

1. Reg. 14. totius exercitûs. Liberauit populus Ionatham, vt non moreretur. Patitur ſe Deus vinci, & obrui numero comprecantium, & multiplicatis interceſsoribus largitur vniuerſa, immò quantò digniores, ſiue meritis gratiaquè validiores ac fortiores votorum noſtrorum ſocios habemus, tantò liberaliùs & glorioſiùs impetrata poſsidemus. Qui

Caſſ. lib: 1. ſit, Caſsiodorus inquit, ordine vel dignitate primus, debet eſse meritorum laude præcipuus. Cùm verò omnium ſit apex & compendium gratiarum, ipſi què Deo ſitu propior, meritis ſuperior, dignitate prior alijs Diuis omnibus MARIA: huius ſolius nomen in periculoſis ac pænè deſperatis quibuſquè rebus implorantes, cum ſingularis Diuinæ gratiæ acceſsione & præſentiâ, omni eam loco, omni tēpore ſubeſse, adeſse, prodeſse lætamur. Dixerim, non ſatis eum rationis compotem, qui ex locupletiſsimo fonte ſitis pellendæ cauſa nolit depromere aquam, vndarum pòtiùs indigos exquirat puteos: nemo eſt in hac rerum complexione, ita ſui oblitus, vt non ab hac fæcundiſsima virgine impetratis & depromptis opibus triſtem depellere velit ſortem. Quis, ſiue aliquâ calamitate affectus, ſiue in proſperâ vitæ ſtatione conſtitutus, non vnam ſibi hanc, tanquam certiſsimam velificationis ſuæ anchoram teneat, ſuſcipiat, obſeruet? Omnium, hæc Virgo, inſedit animis; quia omnium inſeruit ſaluti: omnes in ſe conuertit affectus, quia ſæpè optatos precibus impluit effectus: omnium bonorum impertiendorum illi ratio commiſſa, quia omnium donorum eſt facta compendium: nulla eſt aduerſitas, quam non leniat opportuno beneficio; neque enim vlla eſt in ea gratia, quæ cuiuis impar ſit aduerſitati. Conſpirent in te variorum cruciatus morborum, nec vlla tibi ſalutis tuendæ ſuperſit ratio: non Machaonis expoſce manus, ſed huius, quæ ſuo felici partu grauem noſtrorum animorum infirmitatem ſuſtulit, require antidotum; dicto, mihi crede, citiùs inſeſſos vis morbi artus faciet deſertos. Terreant te imbrium fulgurumquè tempeſtates, ſerena tibi affulſura nubes ad imploratam Virginis opem. Impetum emiſsitijs agant oculis, eductiſquè è vaginâ gladijs in tuum deſæuiant iugulum, viarum montiumquè obſeſſores: concident animis, nec quam intenderunt prædam ex te recipient, modò huius, quàm teterrimus archipyrata & ſæuiſsimus inſidiator animorum, vt caſtrorum aciem ordinatam, reformidat, Reginæ cæleſtis fidem obteſteris. Deducant te ſyluarū errores, & obſcuri ſaltus, ad ferarum cauernas, & inter apertas Leo-

num vr-

num vrſorumquè fauces conſtituant: hæc te Soſpitatrix conſpectiſſimo eripiet periculo, rabiemquè ſatietate, immanitatem lenitate conditam, in tuam conſentire ſalutem præcipiet, niſi ſuum à te neglectum agnouerit nomen. Si criminum immanitate (ſuus Bernardus ad te) turbatus, conſcientiæ fœditate confuſus, iudicij horrore, perterritus, barathro incipias abſorberi, triſtitiæ & deſperationis abyſſo, MARIAM cogita, MARIAM inuoca. Et aliàs in periculis, in anguſtis rebuſquè dubijs non recedat à corde, non recedat ab ore. Hanc cogitans, non erras: rogans, non deſperas: ſequēs, non deuias. Hac tenente, non corruis: protegente, non metuis: duce, non fatigaris: propitiâ, peruenis. Et ſic in te experiri poteris, quàm meritò dictum ſit nomen Virginis MARIA. Huius excellentiā Virginis, Dionyſius Areopagita altiſsimo mentis intuitu cōtemplatus, omnium rerum copias, virtutum Imagines & exemplaria, ornamēta honeſtæ mētis, omnes animi cultus, omnem probitatis apparatum, ſplendorem internarum facultatum omnem, & quæuis alia præclaræ indolis decora & gratiarum ſementes, in eâ ſolâ, tanquam in aliquo omnium bonorum faſce, incluſas & comprehenſas agnouit. In quorum tantorum & tam frequentium bonorum, vnius Virginis complexu ac ſinu exceptorum, admiratione defixus; parùm abfuit, quin aliud docente fide, humanitate Virginem exutam, Diuinitate inſigniret. Niſi (exclamat prædictus Doctor) vnum eſſe Deum ſcirē, MARIAM non putarem hominem. Quò illum deduxiſſet ſtupor indolis MARIANÆ, niſi fides Orthodoxa à tam ſacrilego paſſu reuocaſſet! quantū Virginis authoritati & exiſtimationi dediſſet, niſi Deo plurimùm & ſaluti ſuæ (quam ſola fides illius ipſius initium coniuncta operibus eleuat) derogatum iri ſenſiſſet! Cedant canæ ſuperſtitionis commenta noſtro tempori: quòd Iuno nubentibus, Bellona dimicantibus, Diana venantibus, Minerua ſapientiam colentibus, Amphitrite nauigantibus, antiquæ illius ætatis hominibus profuiſſe fabulatur; hoc noſtra, longè certiori & meliori modo, vnà, omnibus nobis quiduis agentibus, Patrona, & vindex noſtrorùm acerrima malorū, importat. Nequè verò ita hoc accipiendū, A.O. vt MARIAE numine & poteſtate, noſtræ res ſuam reſumere ſoleāt ſpeciem & vigorem: ſed MARIÆ precibus & votis apud Deum interpoſitis, ad noſtram calamitatem leuandam impetratam; acceptā verò ipſi Deo referimus gratiam. Quid enim noſtræ vitæ ratio? quid noſtrorum intercepti bonorum aditus nobis loquuntur aliud, quàm noſtram eſſe apud Deum conciliatricem MARIAM? & non loco aliquo, non tempore, ad certam vnam aliquam adſtringi opem: ſed vno & quouis in loco omnibus omnia eſſe, omnium ſeruire votis,

D. Aug. de fide Petri.

vt etiam hic mihi LEZAYSCENSIS locus, non ſyluarum tantùm horrores adimere, quod ſit egreſsio eius ex ſaltibus LEZAYSCENSIBVS; verùm etiam omnium impendentium pericula & metus, ab omnibus ex voto hanc auguſtam Virginis Baſilicam ingredientibus auertere videatur, & citra omnem dubitationis aleam & rei ſuſpicionem auertat. Sed longiùs me quàm conſtitueram liberalis in humanum genus voluntas Deiparæ prouexit dicentem: ſi tamen ea, quæ de ſummorum beneficiorum multitudine inſtituta eſt oratio ad anguſtos reuocanda vlli videtur terminos; Loci me huius, quem ſuis integerrimis, & ſanctiſsimis calcauit pedibus omnis virtutis & decoris ſacrarium, dignitas & felicitas longiorem eſſe, voluit in eo, quod ſui tanti nominis & gloriæ extitit principium. Et quidem ſi tam fortunati, & tot miraculis multos annos clariſsimi loci principem quæſierimus: comperiemus ipſam hanc, quam felicitatis, & gratiæ omnis, ſi non facundo, grato tamen ſermone apicem diximus, extitiſſe. Quod enim hîc ſuſpicimus inſignem, & non minùs ſumptuoſo, quàm ingenioſo excitatã apparatu Eccleſiæ fabricam; quòd Religioſorum frequentiam aduertimus, quòd vota effuſa, quòd votiuas tabellas pio cenſu & deuotâ impensâ appenſas miramur; quòd numeroſam hominum confluere manũ audimus; quòd deniq; multos loci beneficiũ expetere & experiri ſentimus: CHRISTI Mater, princeps & ad ſuſcipiendã & ad ingrediendã eorum omniũ rationem acceſsit. Nec loci ipſius Tempe, & inſignis amænitas, quæ ex nemorum vmbris, & proiectâ in longum agrorũ fæcunditate ſupereminet, ad earum rerum quæ aguntur & videntur, agendarũ & videndarum ſpectaculum theatrumquè pellexit excitandum: ſed ipſius humanæ ſalutis defendendæ & patrocinij ſuſcipiendi ratio perſuaſit. Ciuitas, Regio iuri adſcripta, præfecturiſq; longè inſignis LEZAYSKO aluit virum, quem fortuna deſeruerat (cùm operam oblocare ad elixandam cereuiſiam, ſarmentaquè colligenda ſolitus eſſet) candor animi, & ſimplex virtutum exercitium, in ſuo tenuerat officio THOMAM vulgò MICHALKONEM dictum. Experimur ſæpè A. O. eos, in quorum animos fortiter egit ſuos radices pietas, tanto ſuo bono, & tam eximio ſurculo mentis innocentiam tueri, rationem in cæleſtium meditatione ſecretorum defigere, morum conſtantiam, vitæquè probitatem ſeruare, nec à ſuo, quod benignitate naturæ ſuſceperunt, longo vſu comprobârunt, viuendi & agendi inſtituto, ne quidem ad latum vnguem deflectere ſolere. Pietas eſt Diuini timoris & amoris, tantò iuſtior, quantò liberalior propagatrix; nec popularis auræ ſtudioſa plebeios venatur fauores: ſed priuato contenta teſtimonio, à publico ſeſe diſcernit aſpectu. Quid hæc tanta

tanta & tam diuina virtus in hac bona anima non moliebatur, quos deuotionis non exeruit ſpiritus? quæ ſui non explicuit indicia? nam ſi honeſtas egeſtatem conſolatur: habuit Thomas MICHALKO, quod ſe in ſua tenui & obſcura ſorte recrearet, cùm ſociam & admi- niſtram vitæ aſſumeret pietatem. Manus eius ſuffecêre deſiderio ipſius, & nihil habenti, nihil (quod ſummè diuitis eſt) defuit. Egeni enim ſemper ſunt ij, quibus tam deeſt quod habent, quàm quod non habent; & cum poſsideant plurima, plura petunt. Cic. pro P. Quinctio. Hier. ad Paulinū. Ouid. 1. Faſt.

Sed quò diuitias hæc per tormenta coactas,
Cùm furor haud dubius cum ſit manifeſta phreneſis,
Vt locuples moriaris, egenti viuere fato?
Interea pleno cùm turget ſacculus ore,
Creſcit amor nummi, quantum ipſa pecunia creſcit.
Et minus hanc optat, qui non habet. Iuuen. ſat. 14.

Magna certe eſt ſecuritas cordis, nil habere concupiſcentiæ ſæcularis. Nam ſi ad terrena adipiſcenda cor inhiat, ſecurum tranquillũq; eſſe nulla tenus poteſt, quia aut non habita concupiſcit vt habeat, aut adepta metuit, ne amittat, & dum in aduerſis ſperat proſpera, in proſperis formidat aduerſa, hûc illucquè quaſi quibuſdam fluctibus voluitur, ac per modos varios rerum alternantium mutabilitate ver ſatur. Si verò ſemel in appetitione ſupernæ patriæ forti ſtabilitate animus figitur, minùs temporalium rerum perturbatione vexatur. Tum verò & ipſius Dei voluntas incredibili ſimplices atquè ab omni fortunæ pompa derelictos homines promouet ſenſu: cùm à ſapientibus abſcondere, paruulis autem ſua oſtendere ſoleat myſteria. Tantum recta conſcientia, & integra vitæ ratio prodeſt: ita ſibi fauentes Diuos præſtat, vt ad illam ornandam & cæleſti dulcedine replendam accedere malint potiùs, quàm ad faſtuoſos animos. Cùm ergò hic THOMAS MICHALKO in ſuo vitæ ſimplicioris inſtituto perſtitiſſet, nec à ſuſcepto pietatis exercitio receſsiſſet: locum & lignis comparandis, & deuotioni agendæ opportunum, in quo & laboris prædam, & pietatis ſolatium inueniret, frequentauit. Non minùs profectò ſuis rebus curandis ad corpus ſuſtentandum; quàm pietati exercendæ ad animum ornandum intentus: omnem corporis contentionem cum animi eleuatione ad Deum coniungebat. Quin immò corporis reficiendi præſidia, precibus ad Deum, Deiquè Matrem Virginem effuſis auſpicabatur, non tam in ſyluarum opibus, quàm in Dei timore, Diuorumquè patrocinio, vitæ ſuæ rationem reponendo. Nemus illud, quod propè LEZAYSCVM eſt, in teſtem & obſidem ſe offert laboris atq; deuotionis oppidani huius. Quoties ille, quoties pro ſe, pro ſui animi ſalute, ſupplicabat Deo à vulgi Gregor: lib. 22. Moral.

 ſtrepi-

ſtrepitu & hominum oculis ſubductus? Quoties ex ſaltibus illis, municipibus pro ſtipe ſarmenta, ſibi pro ſuo merito cæleſtis gratiæ incrementa exportabat? Quid? inuentus eſt dignus huius beneficij Diuini, quo noſter Sarmaticus perfruitur orbis, & locus hic floret, ſtatum predicare, fungiquè præconis voce ad religionem loci ſuſcipiendam. Etenim pro more ſuo Anno ſalutis nonageſimo ſupra milleſimum, quingenteſimum, victûs parandi gratiâ ſyluam ingreſſus, ſolitos deuotionis actus non negligit, lunatum incuruat poplitem, conſuetâ Deum precatur oratione, terrenâ ſe abſtrahens Coloniâ in cælum retorquet oculos, totuſquè pietatis ardore æſtuans, Virginem in ſplendore cum venerandæ ſenectutis viro, ſponſo ſuo credo Diuo IOSEPHO, ſibi affulgentem iuxtà arborem conſpicit. Hæret in vno obtutu defixus, & viſionis nouæ ſpectaculo exterritus, concidiſſet metu, niſi glorioſæ Virginis, quæ Virginitatis ſuæ & ante partum, & in partu, & poſt partum non paſſa detrimentum, reficeretur verbis; MICHALKO? *hic Dei noſtri, filij autem mei, gloriam, interceſsionemque meam ſemper agnoſcetis: hunc locum elegi mihi ad humanum genus iuuandum. Perge ad oppidi magiſtratum, meamq; hanc expone voluntatem, vt hoc in loco, in memoriam mei, templum ſtatuatur.* O felicem animũ, cui contigit audire vocem non triginta annorum opere expreſſam, non alicuius dolo & figmento eductam: ſed humano more & ſono efformatam! Suſpectam tamen habuit hanc vocem, nec ſe diuulgandæ illi auſus committere THOMAS MICHALKO, ne timor Dei quo plenus erat, in procacem degeneraret furorem. In dubium vocat rei à ſe viſæ fidem, veritus, ne ſpiritus tenebrarum in Angelum lucis transformatus falſam ſibi exponeret viſionem. Res ipſi nota ſoli, ignorabatur à cæteris, continet linguam, nemini quid vidiſſet exponit, ne temeritatis aut amentiæ accuſatus à potentioribus & maioribus damnaretur. Prudentiam potiùs quàm ſtultitiam facti ſuſpice, & prudentem ſimplicitatem (quæ ſemper digna fauore fuit) excuſa: imitare ſimul animi conſtantis in pietate induſtriam, quæ ad illius loci, in quo ſe eluſam pro ſuâ opinione cenſuit, aditu prohiberi, ne mentito etiam, vt ſua fuit ſententia, ſpectaculo, ad conſuetam deuotionem faciendam potuit deterreri. Huiuſce enim loci, quem ad ſuam commodè circumſcripſit deuotionem, cancellos iterum tum ad colligenda ligna, tùm ad agendum cum Deo, conſuetudine monente adit, ſuſpicit cælum, quod ſibi ſecundùm fauere aduertit, cùm eadem felix recreatur viſione, eandem Virginis & ſenis grandæui excipit præſentiam, eundemquè repetitum audit ſermonem. Paulò erectior ſecundo aſpectu, arripit greſſum, ſarmenta collecta, in vnumquè congeſta cumulũ, fune obligat, onere induratis &

Ouidius.

tis &

tis & labori assuetis humeris imponit. Iamquè syluas egressus euadit, atquè citato multa animo voluit, superat recessu, & quid facere oporteat, cogitat. Ecce verò inopia & obscura vita omnem illius perturbat cogitationem, eoquè illum, quod constituerat, consilio deijcit, nullam verborum eius fidem fore exprobrat. Hostem se illi paupertas exhibet in eâ re exequendâ, quàm fortuna nemini suorum commissam indigne tulit & in qua potentior vllus amicum non est expertus cælum. Tot illi hominum odia obuersabantur: tot inimicitiæ veniebant: tot mendacia sibi obijcienda sese ingerebant: tot supplicia & illa, quæ vulgo rei nouitatem consequi solent, conuiciatorum, calumniantium opprobria & ludibria, ad silentio rem inuoluendam inducebant, & acriùs insistebant. Ego verò puto eum ita grauem & singularem Matris Dei in genus humanum voluntatẽ, noluisse in publicum deferre, quòd se talis munere nuncij agnosceret indignum. Reposcendos potiùs ad ead rem censuit viros eruditionis, sapientiæ, ingenij, opum, fortunæ, honorum gloriâ conspicuos, quàm se in infimis conciuium suorum in illo oppido constitutum. Existimauit viros toties in rebus agendis & exigendis exercitatos, & de quorum fide nemo dubitaret, qui semper in luce viuentes, nunquam sinistrè, quidquid egerunt, nullam suspicionem minus fidelem sui excitârunt, sed omnes in suam existimationem amicisimè traxerunt, in huius rei obsequium accersendos: non se à publicis distinctum officijs & earum fortunâ rerum, quæ se suamquè exercerent fidem (si tamen nulla est huic habenda fides, qui cum nemine subdolè egit, suo contentus, non viuit alieno) nunquam probatum in eius facti persequendam rationem appellandum. Sed Deus, quæ à sapientibus & summis in politico vitæ instituto viris abscõdit, ea simplicibus & paruulis reuelare solet hominibus. Nequè hic se ad nobilium aulas, magistratuum subsellia, eruditorum cãcellos, oratorum exedras, quibus ea, quæ duplici iam visione per suam Matrem oppidano huicce præbuit, iure posit committere conuertit, sed eundem tertiâ Virginis apparitione eiusdem rei commonefecit. Cùm etenim consuetudini suæ inhærens, non tanto se vltrò ingerens negotio, ad eundem locum incesisset suorumquè votorum pensum exoluisset: stetit Virgo iuxta triquetram arborem, in conspicua luce, & splendore magno, eodem comite, quo priùs, spectabilis. *Quæ tua, inquit, socordia! quod animi vitium! qui diuini beneficij contemptus! quæ indigna & execranda mei præsidij, quo in genus hominum teneor, despicientia! quod ingratum in te verborum meorum repudium! metuis inuidiam? non eam effugies: times opprobria? & ista tuum impetent caput: vereris supplicia? etiam te hæc manent: reformidas carceres? his teneberis,*

neberis, quibus tamen ego te mirabili expediam modò: horrorem tibi afferunt Conſulum ſecures? non euades earum aſpectum, ſed in ijs omnibus ferendis animo te iubeo eſſe bono, cum tibi non datam fidem ex euentu lugebunt. Namque hic locus multis clarebit Miraculis, & peregrinarum gentium calamitati ſolatio futurus, & in cuſtodiam Fratrum Minorum de obſeruantia ex Familiâ Franciſci compatientis, Filio meo Cruci affixo ceſſurus & abiturus. O ſingularẽ curam Virginis Beatæ in præſidio ſufficiendo nobis! O vigilem noſtræ adiutricem vitæ, quæ in augurãdo, in ſui integerrimi nominis honorẽ, operi ita ſedulò inſtitit! Nimirũ hæc tantoperè noſtro affecta generi Virgo, noſtrã excitat A. O. ſocordiam ſuâ diligentiâ: noſtrã coërcet agẽdi tarditatẽ ſuâ celeritate, noſtrũ promouet reluctantẽ animũ ſua facilitate. Fecit vir ille, cui noſtra multùm debet ætas, & ventura debebit, quicquid ad tantæ ac tam ſalutaris rei ſignificationẽ ſpectare videbatur, gratus tanti patrocinij, pro noſtra, pro nobis, pro noſtrorũ laborauit multùm ſubleuãdâ calamitate: Cùm ad omnia ſe perferenda fortiter animauit, cùm debita ſermonis & mẽtis libertate id, quod Dei munere & miniſterio Soſpitatricis noſtræ oblatum eſſet, publicè aperuit. Senſit ille Diuinæ voluntati obices non opponendos, prudenter aduertit beneficia Dei non eſſe negligẽda, ne fortè ſubruſticâ ingratitudine res humanæ in exitiùm vocẽtur voluntarium. Ergo Proconſulem municipij non minus annis (ad centum enim iam propè annos deduxit ſuam ætatem) quàm moribus & virtute grauẽ virum GREGORIVM STRIKOVVSKI. Leſny vulgo dictum adit: rem omnem exponit quid fieri oporteret oſtendit. Annuit Proconſul verbis: nec ſimplicẽ contempſit hominẽ; quòd ſciret ſimplici oratione veritatem cõſtare: ſtatimquè iubet erigi in eo, vbi ſteterũt pedes Virginis, loco, figurã Paſsi CHRISTI. Rem integram alijs principibus municipij viris nunciãti, fides non adhibita: exacerbati in eam geruntur animi; ſubſecuta ſunt omnia, quæ temeritas hominum, ex Virginis denũciatione, paratura erat veritatis nuncio. Ipſæ agnouerunt, proh pudor! loci dignitatẽ pecudes, quæ in illud nemus abactæ ad paſcuorum vſum erant: etiam & equi ſexaphori propè locum (erat enim ibi via, quæ tùm ad municipium, tùm ad vicinas ducebat villas) à ſuis agaſonibus directi, genibus procidebant ſuis, quaſi futurorum præſcij, præſentia intelligentes, venerationem arenoſis exhibuerunt ſpatijs. Frequens ſubinde veniebat populus ad locum, in quo exædificata fuit Patientis Dei imago, vt Parochiale templum quod Cuſtodes Sepulchri Domini inhabitant, ſolitudine funeſtaretur. Succenſuit populo nouam ineunti deuotionem ALBERTVS WYSSOGROD Præpoſitus LEZAYSCENSIS, & deſertam moleſtè ferens Eccleſiam ſuam, ad

locum

locum verò hunc ingentem confluere vtriusquè sexûs hominũ multitudinem; inijcit frena equo persequitur indignatione sociâ concursum populi, eques obuios quosquè verberibus lacesit: reuertentes ad suam Ecclesiam compellit, & acriùs (ad festum diem, quo hæc agebãtur, obeundum) increpat: captos locum inuisendi desiderio, ab instituto reuocat itinere, flagelloquè minatur: Votis & orationi intentos suo importuno aduentu commiscet, dissipat, in fugam cõuertit. Insuper relictos præ metu, vt potè à peregrinantibus, bacillos & scipiones ignè succendit, proximosquè saltus & ipsam Crucifixi Dei Iconem in periculum vocat. A quo quid expectandum erat aliud, quàm qui igne furoris æstuans, eum in obiectum & præsens exereret alimentum? Credo illum externæ pietatis exortu, & domesticæ consuetudine deuotionis, deflexione commotum in eam deuenisse insolentiam, vt re incognitâ statueret id, quod Dei munere oblatum municipes aduerterent abolendum, ipsumquè tanti beneficij indicem in vincula conijciendum, præconis voce proscribendũ, verberorum lanienâ dignissimum, mangonum horrendæ diamastigosi ad iudicandum, tradendum, committendum, vt publicæ pietatis turbatorem. Suasit enim impotentis animi vis, & amentia MICHALKONEM captiuum adduci ad Oppidi Procõsulem, caussam dicere coëgit, in eius carcéres, vincula, custodiam, plagas publicè infligendas consentire. Quippè quoniam hominem plùs fidei quàm artis, plùs veritatis, quàm disciplinæ possidentem, meliorem virum, quàm quis existimaret, qui ita dignissimus erat tanto officio propter simplicitatem, vt dignissimus esset amore propter inocentiam; in domum Procunsulis attrahi, (si trahendus erat is, qui se his æquo animo ferendis multò antè commiserat) torqueri metu, (si quis ex speratis venit rebus) carceres, qui nequicquam virum insontem affligerent, in nascentis deuotionis authorem effundi, carnificis tentari manibus, quæ insonti gloriosas inferrent plagas, placuit. Oppidanæ Rectori pietatis paruit Proconsul; carcere, quem vindicem nefariorum ac manifestorum scelerum maiores nostri esse voluerũt, custodiendum Michalkonem suis lictoribus & sicarijs præcepit. Fit mandato Proconsulis absquè mora satis, conijcitur innocẽs vir in carcerem, in tenebras, in squalorem, in sordes, inclusum non reluctãte operâ subit supplicium, atquè à conspectu hominum, sociorum, Ciuium, deniquè à libero spiritu & communi luce secluditur: in quo demùm facto animus actoris furore agitatus conquieuit. Sed domum se recipiens quietem domi non inuenit. Etenim condemnatæ innocentiæ pœnas in se conuersas agnouit, cùm lecto affixus omnibus doleret artibus, quos liuor sanie atrâ & lurido tabo squalidus occupârat

Cic: 2. Catil.

cupârat: Corpus quod pallor suffuderat, tanquam testa in cicatrices defluebat, hiantesque resoluentis se cutis, compagines eminebant. Venenum sibi propinatum ratus, de incerti authoris scelere conqueritur. Sed Proconsulis, qui dimisso (ob quendam subitò, exortum, animi tremorem & pauorem) THOMA, inuiserat Præpositum, indicio, quo hostiliter persecutæ religionis pœnas in illum cõuersas testatus est, erectus; dimitti, quamprimùm petijt captiuum suum, & ad se vocari, vt facti sui amentiam deposceret. Accersitur MICHALKO, non ex carcere, sed ex Proconsulis domo, in cuius amplexum Præpositus se suo commouit strato, & numeratis ei florenis quatuor monetæ nostræ, dimisit suâ æde, humanitatem & clementiam eius deprecando. Ipse interim inualescente vi morbi, consilio medentium suæ curam salutis traditurus, Iaroslauiam petijt: quam suam profectionem vitæ potiùs, quàm suscepti itineris termino confecit. O funestam negatæ fidei pœnam! ô tristem violatæ & impeditæ deuotionis Catastrophen! hoc tamen profecit insperatus hominis è viuorum numerò exitus, quòd multis in loci illius venerationem licentia insurgendi auerteretur. Claruit illa felix, area miraculorum dignitate, & frequentem ad se venientem populum, cum insigni aliquo semper beneficio remisit. Iamquè & MICHALKO vitæ suæ innocentiâ & morum comitate gratus omnibus audiebat, omniumquè in se infensos animos singulari Virginis patrocinio in suum conuertebat amorem. Si quidem excitatas & eductas iussu vicepræfecti LEZAYSCENSIS GASPARIS GLVCHOVVII in suos digitos ex bombardæ in ferto silice (quæ est aulica insolentia, & improba ac plusquàm Democriteo exsibilanda cachinno, Curialium tormentorum consuetudo) scintillas ignis abquè vllo sensu & dololore sustinuit. Iniectæ sibi pedicæ & numellæ suaptè vi, sine vllâ corporis luctâ, liberam sibi dederunt in custodia solitudinem, vt compedibus, & ferreo in manibus nexu solutus à multis cum admiratione spectaretur. Insuper cum eundem, vices Præfecti gerentem, virum furor in MICHALKONEM armaret ferreâ clauâ, manumquè inijciendam eius corpori altiùs efferret; obstupuit dextra, nec tanto admoueri negotio, nempè id faciendi amissâ facultate, potuit. Agnoscit se, à tam audenti impetu, diuinitus inhibitũ, sentit percussorẽ innocentiæ tali affici supplicio: nihil in locum, qui bonorum futurus esset alueus & promptuariũ, moliendum, audendum, attentandum esse inclamat; comprobatquè locum hunc religiosè tractandum publico testimonio, cùm ex voto erectionem templi lignei, omni operâ, studio, diligentiâ meditatur, & solenniter pollicetur. Recreatur manus ex suâ funestâ vicè, & pristi-

priſtinũ reſumit vigorẽ, ad ita piũ hominis inſtitutũ. Si enim Centurio Euangelicus (Diuus Ambroſius loquitur) meretur gratiã, qui pietatis receptaculũ præſtitit: quanto maiorẽ meretur gratiã, qui religioni domiciliũ præparauit? Et, ſi ille cæleſti miſericordiâ viſitatur, qui conſtruxit locũ, vbi CHRISTVS ſemper negatur: quantò magis viſitandus eſt, qui fabricari fecit tabernaculum, vbi CHRISVS quotidie prædicatur, (liceat nobis eſſe in eâ re ita animoſis, vt addamus) vbi ipſius Dei Mater ac ſimul Virgo nobiliſsimum caſtitatis exemplar celebratur? Nulla mora intercedat, ô voti conſcia mens; exſurgat moles MARIANA, excitetur myrothecium ſpirituale, pro animi corporiſquè curandis & confortandis viribus: quod decreuiſti opus promoue tuis impenſis. Perge animosè, perge vt cæpiſti, in aris & Templo conſtruendo: beneficium hoc poſteri acceptum tibi referent: effice vt à te inceptum hoc deuotionis monumentum, à te prima ſumpſiſſe exordia iure poſsit gloriari. Excitet te camomillæ odor, quo nemoris huius regio fragrat, & inſigni herbæ excellit copiâ. Quæ certè tanta loci gratia, futuros hominum in deuotione deſignat feruores, & cæleſtium beneficiorum ſuauitate. Futurus eſt hinc hortus voluptatum, campus deliciarum, Tempe gratiarum, viridariũ, omnis iucunditatis, μυροθήκιον, ex quo infirmæ hominum mentes recreentur, reficiantur, conſolentur. Eſt quod te ad præconcepti operis ſuſcipiendam rationem admoneat: en cogenti pecus in eos LEZAYSCENSES ſaltus admodum puero Sebaſtiano TALARCZYK candelæ, ipſius elementi miniſterio, & obſequio, ardentes exhibentur: en campanarum nunquam antea inibi exceptus pulſus, diceres aliquem rei diuinæ operari audiuntur: en ipſa demùm ſolis excedens lucem Virgo, cuius niue candidior veſtis defluxit ad terram, viſendam ſe præbet, theatrum, in quo humanæ proſpiciat neceſsitati; ſpeculam, ex qua omnium videat inopiam; tabulatum, in quo mundum ab indignatione Filij, quam homines vitijs prouocârint, tueatur, nec miſsilia in orbe catholico patiatur impunè graſſari ſupplicia, expoſtulans ardenter & opperiens. Conſule huic pijſsimo & optimo LEZAYSCI populo, qui auditâ re, frequens ad MARIANVM hoc gratum ſolatij accepturus pabulum, in dies conuenit, nec iniuriâ cœli, aut aëris inclementiâ, à tam digno & incredibili votorum exercitio reuocatur. Mouit iam ea res Præpoſitum Eccleſiæ LEZAYSCENSIS ſummæ eruditionis & probitatis virũ, THEOLOGVM nomine, qui publicâ decretâ deuotione, proceſsit cum iubilo, & omni educto, qui ex eadem Cuſtodum ſepulchri Domini familiâ eſſet, Clero ad debitam loco venerationem exhibendam: in tuam ſe loci huius dignitas, non inſinuabit liberalitatem? multitu-

multitudo effusa ex oppido ad loci cultum, silentium sui Præpositi, in disertam ingredi facundiam cæpit, cùm in illorum insigni meditatione verborum: Confitebor tibi Domine Pater Rex cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelâsti ea paruulis; ita Pater, quoniam sic placitum fuit ante te: immoratus, locumque hunc cælitùs Virgini gloriosæ tributum confessus, in eius solius possessionem; & tam venerandi nominis cultum, per augurationem cessurum & abiturum prædixit, concionem populi ad maius flexit pietatis exercitium: te, à decreto huiusce rei consilio, ratio aliqua deflectet? Est tibi tanti hoc officij præstare opus: tua te ipsa mens, vt ad alia omnia præclara gentilitiâ vi, ita ad religionem promouēdam natà, ad Sacellum intra septem dierum spatium excitandum, quod Diuæ ANNÆ offers, (supplicans Matri, quæ filiam suam tuæ, vt censes, temeritati infensam conciliaret) hortatur: sensim verò ad Templum ex cæsis arboribus suscitandum progrederis, in quo multorum temporum beneficentiæ diuinæ non vulgaria extabunt specimina. Cedet hæc non paucorum commodo, insigni verò suæ gloriæ augmento tignarij operis fabrica, ad quã veniętes infirmi nõ reuertētur infirmi: accedētes impotes animi, nõ dimittētur impotes. In tãtã hic labor venit amplitudinē, A.O. vt cũ liberaliũ beneficiorum famâ ex remotis peregrinos duceret partibus: nec locus capiendis hominibus suffecit, nec Sacerdotum (qui ex oppido ad ministranda Sacramenta & rem, Diuinam faciendam, in dies mittebantur) labor tantæ potuit respondisse multitudini. Quare ad id quod felix ille MICHALKO, ex ore Matris Dei acceperat, rem deducendam tempus persuasit; vt religiosis ordinis S. FRANCISCI Minorum de obseruantiâ, cura & custodia Templi, rei Diuinæ exercitium, Sacramentorum populo quotidie confluenti sufficiendorum vsus committeretur, demandaretur. Cùm enim post operatã salutem, mũdus ageret Octauũ supra Millesimũ sexcētesimũ annũ, æternâ dignissimus memoriâ MATTHIAS PSTROKONSKI Episcopus Præmysli: Regni Cancellarius, benè sui Episcopalis magistratûs gerens officiũ, ex hac ipsâ Diui FRANCISCI Familiâ dexterrimos, & intergerrimos in vinea Dei operatores introduxit, ijsque ex liberali in rem Diuinam (cuius promouendæ, quanto teneretur studio relicta in Serenissimo Filio Rege nostro, felicissimo & clementissimo augendæ pietatis indicia testantur, & ipsâ loquuntur) piæ memoriæ SIGISMVNDI III. POLONIÆ ET SVECIÆ REGIS animo & consensu, à summis & clarissimis nostræ Reipub. viris ad hoc beneficium conferendum delegatis, ad commodè inhabitandum, & deuotionem exercendam termini definiti. Cùm verò Illustrissimus

LVCAS DE BNIN OPALINSKI, Supremus Regni Marſchalcus, in ſuâ tantum felicitatis monumentum gauderet ſupereſſe (quē patria, vt obſidem virtutis Paternæ, non Regiæ ſolum Aulæ & publici prætorij virgâ, ſed etiam hoc ipſo meritorum præmio exornauit) præfecturâ: ad loci maiorem commendationem, & amplius ornamentum: Templique, quod anguſtius, quàm vt frequentem cōprehenderet peregrinum, fuit, acceſsionem faciendam, non tenacē in religionis ſumptus impendendos ſuam conuertit mentem. Scilicet quod Virgo Beatiſsima futurū in eo loco prædixit Templum, illud inquam Templum, quod totus Orbis miraretur, & quod duodecim Altaribus litaret DEO PATRI HOSTIAM SANCTAM, ET IMMACVLATAM: hoc pietatis tanti in Repub: viri fuit certius, quam ex triuio & tripode Delphico Oraculum. Primarium operi tam egregio decimus octauus ſupra Milleſimum ſexcenteſimū annus iniectum ſuſpexit lapidem, quem reliqui decem ſubſequentes anni, cùm ferueret opus & artificum manus vrgerentur, perfecto & abſoluto onere contexerunt. Iam verò ex qua votiuæ pendent tabellæ, & ad quam cereorum ſupplicantiumque ardenter eminet feruor, Imaginem, non tam artis pictoriæ peritior, quàm melioris vitæ ſtudioſior (nam curſum mortalitatis in Sacerdotij cōfecit munere) ERASMVS Pictor Ciuis Lezayſcenſis, non tam ad ſui nominis gloriam, & artis commendationem, oſtentationemque ingenij, quàm ad pietatē & deuotionem depinxit, & ANNVNCIATÆ VIRGINIS Myſterium expreſsit. Et licet deuotæ hominum panegyres, illius loci non ita, vt nunc eſt, auguſtæ Eccleſiæ fabricâ memorabilis incredibile ſemper beneficium experirentur: tamen hoc honoris & ornamenti apparatu, nulla gratiarum facta eſt diminutio. Concitabatur populus, imaginis Præſentiâ, ad maiorem deuotionem, vt cùm creſcēte populi frequentiâ, creſceret ad collis illius Feliciſsimæ Præſidis, interponētis ſe pro hominum neceſsitate, preces Dei gratia. Dixerim ego illam molem, quæ arenam ſupereminet, cœleſtem aquæ ductum, cui canales diuinorum beneficiorum admoti, abundè in varios hominū vſus & vtilitates largitionibus exæſtuant. Dixerim, frumentariam cellam, quâ languidi & confecti fame, vires diminutas, amiſſaſquè paſsim recipiunt. Iure appellârim feraciſsimū granarium, ex quo tot vitæ conſeruandæ, & reficiendæ præſidia efferuntur: necnon ad grauem hoſtium, & ſenſuum ſuſtinendā obſidionem, epimenideum depromitur remedium. Non è re loci videbor eloqui, cùm hoc Auguſtiſsimæ Imperatricis domicilium, promptuarium pacis, receptaculum pietatis, ædem omni bonorū ſegete inſeſſam, tectum refugij, domum pietatis, alueum felicita-

 tis, hor-

horreum deliciarum, in quod omne quicquid Cœlo eſt genitum Deus impluit, in quo nil niſi Diuinum, nil niſi ſocium vitæ & ſalutis locupletiſsimè reponitur: cui non humana induſtria, non ingenium, non ratio, nec conſilium in quærendis ſagax, in tenendis prudens, in ſeruandis expeditum rebus, congeſsit diuitias; ſed Diuina benignitas importat facultates. Quid ſi officinam appellauerim, in quâ Dei beneficia, Præſidente hac Pijſsimâ CHRISTI Genitrice ſuper reparandos hominum defectus impensè occupata, prolixiſsimè exercentur, tantæ me appellationis pœnitebit? Næ iſti ego feliciſsimæ areæ, tantùm tribuam, quantum tribuendum, illi Cenſemus loco, qui omnium neceſsitati prouidet ac facilè quamuis iniquitatem conſolatur. Nemo iam ſit, qui huic tantæ ac tali noſtrorum Cognitrici bonorum vni & ſoli non totum, quantũcunquè in iuuandis nobis eſt ſitum, vendicaret, id quod antiqua hominum ſuperſtitio, tot delubrorum commento & nomini veriùs, quàm Deorum Dearumque Numini ambitiosè, & amenter putauit referendum. Varias fingebant veteres Numinum formas, diuerſis præficiendas locis, in quibus aliquando ſua periclitaretur ſalus: nobis vna eſt Diua, quæ non opinionem ſibi Numinis arrogando, ſed facilem quiduis impetrandi poteſtatem demerendo, omnium locorum, omnia vitæ ſalutiſquè humanæ tuendæ præſidia cõplectitur; atque hîc ad LEZAYSCENSES ſaltus tanti ſui conſilij erexit ſpectaculũ, in quo greſſus claudicanti redderetur cohorti, amiſsi luminis reſtitueretur facultas, naufragis pararetur euaſio, morbo languidis antidotum miſceretur, cum dolore ſuorum excedentibus de vitâ regreſſus ad vitam pateret, ab omni aliâ ſpe derelictis figeretur ſolatium. Quemadmodum in benè ordinatis, & pro ſumptu liberaliter excitatis noſocomijs, eriguntur etiã apothecæ, quæ ad omnis generis morbos alleuandos & tollendos, medicamenta poſsint ſuppeditare: ita hoc LEZAYSCENSIS Diuæ domicilium, eſt myrothecium ſpirituale, pro animorum corporumque depellendâ illuuie & viribus confortandis. Illa, illa, hîc videmus & lætamur conferri beneficia, quæ LEONI mox imperatori futuro quondam pollicebatur Dei Mater, cum ipſum ad excitandum ſibi Templum cohortaretur his verbis: *Tu fac, vt ædem mihi hîc ſacram conſtruas, in qua identidem verſer, & ſuauiter deambulem: in qua, etiam precantibus omnibus, locumq́ hunc cum ardore & fide certâ adeuntibus, optata præſtem omnia. Neq́ quicquam prorſus quod mihi aduerſetur, & non contitinuo meæ poteſtati ſit ceſſurum, etiamſi Dæmon ſit, aut morbus, qui omnem ſuperet medicinæ curam, aut aliud quicquam quod factura non ſim, dummodò ritè pièq́ ſit petitum.* Felicem fabricam, quæ tantorum ſuſpexit ope-

xit operum grauitatem! Felix tantæ excitator molis, qui author extitit ad pollicita exploranda beneficia! ſed nec tuus hic locus, qui iam virgineo ceſsit dominio Polonia tali opere minùs felix eſt, in quo omnia colono LEZAYSCENSI, ceu LEONI Sarmatico, promiſſa copioſiſsimè exoluuntur. An enim hîc præſentes non agnoſcunt præſentem Virginem? an abſentibus ab hoc loco illa non eſt præſto? an à longiſsimè etiam diſsitis vocata, non optatâ ope ſuffragatur? non expetitam ſufficit defenſionem? Scimus eam hîc verſari: gaudemus, ei hîc manendi delectam ſedem, gratulamur nobis, quòd cùm inopes hûc venerimus, diuites hinc reuertimur: cùm infirmi acceſſerimus, robuſti diſcedimus: cùm triſtes appulerimus, læti regredimur: cum abiecti metu apparuerimus recreati hunc deſerimus locũ: cùm nos noſtroſq; hûc ſiſtendos ex voto polliciti fuerimus, vix voto facto, id quod poſtulamus, aſſequimur. Adierit modò hunc locũ miſerè impræegnatus dæmonio: nefandi ſui oneris deponet calamitatem & calamitatis reperiet terminum. Fuerit hîc de ſuæ ſalutis abijcienda cura, à perditiſsimo cæli rebelle, & ſui improbiſsimo prædone boni ſolicitatus: mittet ſub iugum ita impiè conantis latronis inſultus, & huius aditu loci exterritum in profundas tenebrarum latebras conijciet, victorquè calcabit victi laſciuiam. Nec verò his omnibus, & alijs plurimis, commodis ita comparandis & tantâ copiâ ac felicitate repetendis, aut requirendis, alius quiſpiam ſuperreſt modus, quàm piè ritequè compoſiti & ab omni labe immunis animi apparatus. Quis vero eam, quam in probo quoquè neceſſe eſt eſſe, rationem ſequi nolit, vt ſuarum potiretur voto rerũ? quis non ſaluus haberi malit, quàm ſibi exitio eſſe voluntario? Verũ enimuerò ita me ſteriliter, nec ſatis pro dignitate in laudes huius loci inuectum quiſquam arguet, quòd cùm tanta fieri ſupra hominũ vires, molimina dixerim, nullo id exemplo comprobârim. Nolite A. O. nolite quæſo putare, hanc meam rem ad agẽdum ſuſceptam, ad dicendum propoſitam, in agendo copioſam, in dictione grauem, ita ſuæ probationis egere inſtrumentis, vt exotica illi mutuanda eſſent argumenta. Extant monumenta beneficiorum in Theatro LEZAYSCENSI depoſita, & Illuſtriſsimorum ac Reuerendiſsimorũ, Epiſcoporum Præmiſlienſium, (in hac enim conſedit hoc diuiniſsimæ Larariũ Virginis Diœceſi) qui ſunt æternitatis excepti gremio, MATTHIÆ PSTROKONSKI Regni Poloniæ Supremi Cancellarij, & HENRICI FIRLEII, de Dambrovvvica, Ordinariâ, quam in locum hunc habuerunt Dei & Apoſtolicæ ſedis gratia, ad ſe, ad ſua merita, ad ſuam dignitatẽ deuolutam Authoritate, diligentiquè Cõmiſſariorum inſpectione & cenſurâ publicè approbata, ſigniſquè munita

nita ad Diuinæ largitionis gloriam augendam, Deiparæ honorem manifeſtandum, infideliumquè, & quos temeritas quin credant obcæcat; impudentia, quominùs, quæ aguntur, non rectè agi dicant, admonet; ſtultitia, ne putent, laborat; improbitas, ne faueant, exſtimulat; nomina confundenda. Vultis (ſed & ipſum rei momentum expoſcere videtur) afferri ea, quæ in aquis, in continenti, inter domeſticos vſus, inter metum armorum, atquè adeo in ipſo vitæ periculo cuiquè oblata ſunt per LEZAYSCENSEM VIRGINEM beneficia? rem certè dignam cognitione, dignam hac publica luce, omniumquè aſpectu poſtulatis: ob quam & ſeruatorum felicitati, & veſtræ ætati iure poſsit gratulari poſteritas. Vocaret me primùm ad ſe munificentiſsimi & nobiliſsimi noſtræ Reipublicæ viri Illuſtriſsimi Fundatoris, & Clementiſsimi Erectoris huius Templi, ſeruata beneficio LEZAYSCENSIS, id eſt, MARIANI loci ſalus (quæ vt Eccleſiæ, Regno, ciuibus, fundatiſsimæ Familiæ diu ſuperſit, omnes boni expetunt, & ipſa implorat patria) & reſtituta: niſi eam in omni periculorum loco defendi ſemper à Deipara accepiſſem. Ita communis omnium noſtrûm Præſes prouidit, ne quid eorum, qui in rem ſuam, nullis pepercerunt impenſis, vita & fortunæ diſpendium patiantur! Ita ſuis, quos ſibi deuota mens conciliat, ſemper præſto adeſſe, & beneficia eorum in ſuum exhibita cultum, ſuis valdè quàm maioribus cumulare beneficijs conſueuit! Fuerint exundantes fluuiorum ripæ, ſuoquè procaci confluxu abripiant impendentes ſibi animas: component ſuos æſtus, & ereptam perditis reſtituent ſalutem, hoc cœleſti Tridente MARIA laceſsitæ. Ab huius pænè fati veſtibulo reuocatus eſt Illuſtriſsimus VLADISLAVS DOMINICVS Dux in Oſtrog & Zaſlavv, Comes in Tarnovv, Stabuli Regij Præfectus Luceorienſis &c. &c. Prætor, quem patria, vt obſidem ſuperſtitis gloriæ Maiorum ſuorum læta ſuſpicit, & qui Rempub: vnicè amat, & ciues ſuos: hunc Regina Poloniæ ſeruauit Polonis. Cùm enim pleno alueo ſpumaret Viſtula, & concretas reſolueret ripas in hippaginem concretarum cruſtæ aquarum, tantâ vi egerunt, vt Illuſtriſsimus Dux in aquas excuteretur è pontone. Quominùs tanto ciue & Duce non lugeret Lechia amiſſo, prouidit Sceptris præſidens Iagellonicis Diua, cùm remigi tantùm daret animi, vt collotenùs, iam immerſum ſubmoueret, aquiſquè educeret. Ita ſeruatus LEZAYSCVM ſubitò petijt, tãtoquè ſe periculo ſolutum, inſtitutarum Aſſertici ſuæ gratiarum publicâ teſtatus eſt ſolennitate. An non huiuſcè rei luculentiſsimum mirata eſt villa Medinia argumentum? in qua Anno à Meſsia nato decimo nono ſupra Milleſimum ſexcenteſimum Iozephus, Iacobi Nouorolij ſubmerſus aquis, mortuuſquè exceptus,
à Ma-

à Matre totâ nocte custodiebatur, quæ inter suos dolore squallida, singultus, ipsam toties implorauit Virginem, eiquè soli tristem filij, quem sequenti sepeliendum statuerat Pater die, interitum cõtestata, altum dormiuit somnum, quo soluta filium à Patre vlnis excipi, reasumptam agere vitam, lætatur: quem subito pij & grati parentes, LEZAYSCENSI Diuæ, cui hoc beneficium acceptum retulerũt, præsentem deuouerunt exhibere. Iungam alias, quas & beneficium Virginis, & exitus pares fecit animas: quarum alteram Zielonka, alteram Siedlonka, ereptas vndis deplorârunt villæ. Illa quidem Catharinam Adami Luciani Filiam, (quam stagnosa vnda natantem, trunco alliserat immani, tenerumquè eius eduxerat spiritum) ad toties imploratam Virginis Diuæ Lezayscensis opem, testata est rediuiuam extitisse, Anno à partu Virgineo trigesimo tertio supra Millesimum sexcentesimum Calendis Iulij. Hæc duorum annorum Annam puellam, oculis suæ Matris repentè subductam, cuius multo requisitæ tempore, & iam deploratæ corpus exanime, aquis supernatare aduertit sollicita Mater; quod tandem assecuta, in Deiparâ spẽ suam reponẽs ad hunc locum sacrum, voto facto, deportat: filia est vitæ, mater est optati sui potita. Consimili impetu mortis, trigesimo tertio anno, supra Millesimum sexcentesimum, Gesiouiensem agrum exiguâ stipe incolentis Martini Krol filia Anna, in stagnum conscẽdit, in quo vitæ suæ, quam vix aguouerat, inuenit terminum. Hanc tali casu extinctam luctu affecti parentes, si viua Dei munere, & Felicissimæ Virginis intercessione, superesset, ad Aram Lezayscentem se adducturos promiserunt: quo vix facto promisso, dolorem expetito reparârũt solatio, & ritè egerunt id, quod percepissent. O facilem humanis rebus Virginem! ô felices animas, quæ secundũ Deum in nullâ ponũt maius adiumentũ re aliâ, quàm in Dei, Matre! Similis casus & nominis, patrocinãtem suæ calamitati eandẽ omnium nostrûm Protectricem, agnouit mulier Morczyna appellata, cuius è pago Laczynum dicto ad votum exoluendum Lezayscum, contendentis, consternatum inundantis vistulæ periculo pectus, ope est MARIÆ recreatum. Huic enim è pontone elapsæ, eiusdem piè suscepti comites itineris defensum, & quin ab aquis absorberetur beneficio Virginis LEZAYSCENSIS, ad cuius diei solennitatem tenderent, seruatum spiritum suis manibus, ab imminenti metu liberârunt. Quæ vt primùm ad portum feliliciter peruenit, procidit ingenua, & tanti muneris ac beneficentiæ gratitudinem deuotè magis, quàm disertè est contestata: Gratias Tibi, inquit, & habeo & âgo, ô cæli Regina, quæ mihi periclitanti opem non negâsti Tuam. Tuis sum meritis salutem adepta. Non ego, dum è ponte subducerer, e-

rer, eram ſola: mecum Tu eras: Tu manum, quando in ipſum meum ruebam exitium, ſupponebas. Caſus, qui me ſæpè tranſit, nunc inuenit, prohibuiſſe me aditu Tuæ ſacræ Ædis decreuerat: Tu & ad portum, & ad Ædem Tuam deducis. Felix, iterumquè Felix homo, quem in Tuâ curâ & tutelâ benignè foues! Multiplicâſti mihi beneficia, multiplicabo ego vota. Sed cui Tu non ita liberalis es, vt ſemper nouis eum beneficiorum indicijs cumulare velis? rectè, pro ſuâ in ſuæ ſalutis vindicem, fide & pietate, præſenti exempta periculo mulier verbis contendit: prudenter lucidiſsimo huic ſyderi naufragis affulgenti ſupplicata, vt cuius opem ipſa experta eſſet, eandem omnibus hominum periculis præſentem ſemper adeſſe indicaret. An enim hæc Lezayſcenſis collis Diua, lapſis & aliquo caſu in diſcrimen adductis auxiliatricem ſupponere manum, dedignatur? an etiam epileptico correptis morbo, defuit? ſcimus Lucæ Baginski filium Adamum è porticu excelſa, inuerſo capite lapſum, rationis amiſiſſe vſum, horribiles oculorum voluiſſe intuitus, hiatus oris immenſos egiſſe, linguâ, manu, totiuſque ſtatu corporis inſaniam præbuiſſe. Quæ res, vt miſerabilis erat, ita ſuis parentibus luctuoſa: atque vt nullis humani ingenij opibus, & viribus, medicorumque ſananda operâ; ita deploranda. Solus ad Deum Diuamque Virginem recurſus ſuperfuit: tota luctu ſqualida aula: quinque orationum Dominicarum, quodā die certo, inſtituta ſupplicatio, votumque ſubſecutum, vt Lezayſcum, poſtquam incolumis mente & corpore, atque ex tam graui morbo recreatus, exiſteret adoleſcens, pedibus adiret; cereumque, velut quendam ſuæ deuotionis obſidem, qui ſtaturam ſuam referret, eſſetquè ſibi compar, gereret. Non irrita vouentium & orantium inſtituta. Vix enim preces ad Dei & Lezayſcenſis Diuæ opem implorandam effuſæ, vix ſuo fine potitæ: recipit ſanitatem hæres familiæ, deſignatuſque Reip: ciuis, & omnis deſinit eſſe inſaniæ & dementiæ importunus machinator, & inconditus patrator. Parentes ad votum explendum ſe, filiumque ſuum, cum cereo expediunt, & in hoc pharmacopolio, omniumque medicamentorum receptaculo, grates Deo locique Diuiniſsimæ Præſidi exoluerūt, teſtimoniumq; tam ſingularis beneficij reliquerunt, ad facti memoriam: conteſtati nullum eſſe ita malum, quod non huius Dominæ meritis leuari poſsit. Hæc Marcum Aſmanitium Equitem Polonum, quē in ſuo pago, Dębna dicto, Scytharum cohors dormientem adhuc, & in ſuo lectulo quieſcētem latrocinio ſuo inuaſit, tota cum familia domûs ſuæ, inſperato hoſtium aduentu perterritum, cum ſpe & fiduciâ præſens euitandi periculum, ad hunc ſuum fugientem locum, quaſi centum equitūm manu comitatum (ita enim Barbaris viſum

eſt)

eſt) immani ſoluit ſeruitutis conditione. Hæc ab eorundem perditiſsimorum libertatis prædonum vinculis Heduigim Vitimam ciuem Colomienſem vindicauit, quæ cum alijs ſimul miſerè plurimis captiuis trans Danubium deducta inter ſeruitutis & vinculorum grauitatem ingemiſcens, delictorum ſuorum veniam implorabat, eorumquè deteſtata deformitatem, promiſit ſe omnium illorum quorum conſcia eſſet criminum, ſi perditiſsimorum lenonum manus euaderet, in hac Lezayſcenſi arenæ ſuperædificata Eccleſiâ, adhibito iudice ſpirituali, ad cancellos excipientium ſacerdotum confeſsiones, depoſituram. Mirabile! vouenti & cogitatione tractanti hæc, pedibus manibuſque ſolutis vincula conciderunt, mancipiumque vltrò, ſine vllâ luctâ, deſeruerunt. Lætatur felix mulier, & datam ſibi beneficio Dei facultatem redeundi ad ſuos ſentit: occaſione vtendum ſibi proponit, cùm exercitum ſomno onuſtum deſerit, caſtris præ donum egreditur; ſola deinceps nullius occurſu aut impreſsione laceſsita, ad Danubij ripam peruenit. Fluuium contemplata, & litore prærupto & multo aquarum æſtu, tranſitu ſe prohibentem, quærit ſollicito ſtudio, quâ tamèn poſsit ratione ſuperari: nemo adeſt, qui ſe in ſcapham recipiat, qui ſe triſtē & transfugam amicè compellet, qui ſe elapſam prædam cōſoletur, ſaluti proſpiciat, ſuis ſuæquè patriæ reddat, vel ſaltē in aduerſa crepidinis reponat parte: ſolus ei metus obuerſatur, & qui certiſsimus eſt in dubijs comes, vtrinque ſibi imminet, ne ſe perſequantur improbi mancipiorum Domini; proponitque difficile fluuij vadum, omnem ſpem, quæ ſola hominem in miſerijs conſolari ſolet, eripiendo. Stat tamē in littore, omnes circumſpicit partes, quærit hominem, quærit rationem transfretandi fluuium, & cùm ipſis indignata vndis conſtitiſſet, ac de itineris difficultate cum lacrymis fuiſſet conqueſta: ſollicitam littùs, in quo ſteterat, ſubitò abripuit enauigandi officiosè ſufficiens (Deo ita diſponente) ſubſidium. Succumbit illa ruinæ, & cum abreptâ ripâ vno lapſu concidens ſigno ſe victorioſæ crucis munit, atque paſsis palmis aquas eſt complexa. Res mira! tali ſigno, quod noſtram nobis reſtituit ſalutem, inſtructa perire, cùm pereundum eſſet, non potuit: quippè ita excipiens vndam, ſubitò ſe in altera fluminis compagine ſuſpexit. Quo tam ſingulari affecta miraculo, quaſuis viarum ſpreuit ſolitudines, locorum inſidias, nec itinerum obſeſſores verita, vnam ſibi hanc adeundam, vt inſtituerat & intenderat, Virginem cenſuit, quæ huius, atque adeò cuiuſuis loci cognitores, & fide bonâ cultores, omnibus eximere periculis dignatur. Cuius quidem gratiâ, cùm nihil ſit ita in rebus humanis ſepoſitum, nihil ita periculis inſeſſum, quod non agat,

Cic: 4. Catil.

agat, non vindicet CHRISTVS: veſtrum omnium, A.O. aſſenſū vel ab hoc vnico actu appellari potuit φανερὸν τὸ κρατ@, manifeſtum nimirum, ſeu illuſtre robur ad ſuæ Matris vota facilè veniens. Et verò quæ in hoc LEZAYSCENSI Templo & ampla & magna pro ea, quâ in MARIAM eſt DEVS, volūtate gerūtur, hinc aſſenſione Catholicorū, illinc fremitū, ab orthodoxa religione exceptorū publicâ obſtrepūtur famâ. Eques Polonus, funeſto noſtræ patriæ, Anno decimo ſexto ſupra Milleſimū ſexcēteſimū (quo & ſuperius actū eſt beneficiū) Ioānes Dabrouius, cùm ſe ex profligata nobilitatis Polonæ acie, & ex tot delectorū militū, floriſque Sarmaticæ in captiuitatē bello Valachiæ, cū inſigni Reip: damno & ſqualore, abductæ numero, funeſtâ ſuorū perterritus clade in fugā, ſalutis ſuæ nō indecorè cōnſulētē coniecisſet, Pruthūquè fluuiū Cathaphractus traijcere incepiſſet; equo excuſſus, ab armorum onere in fundo ipſo fluminis cōſtitutus. Ita, qui modò inter confertiſsimas & multitudine barbarorum infinitas hoſtiū acies ferro & viribus verſabatur, in præterlabentes intruditur aquas! Hoc tamē felicior, quòd inſolentis victoriæ effugiſſet laſciuiam, hoſtilibuſque ſuam eripuiſſet vitam armis: ſed cū in eo ſe agnoſceret poſitum termino fortunæ, ſpem omnem recuperandæ ſalutis amiſiſſet, omniqúe malo infelicior fuiſſet, niſi Deiparam Virginem hominum calamitatibus adeſſe ſolere didiciſſet. Memor tandem loci huius LEZAYSCENSIS (credo memoriam loci deuotam ipſius mentem ſibi inſpirâſſe, vel famam eorum, quæ hìc aguntur, beneficiorū ingeſiſſe) in hoc ipſo receptæ, niſi aquis demoleretur, ſalutis acturū grates tantiquę magnitudinem beneficij æternis temporum & ætatum inſcripturum faſtis appromittit. Adeſt demerſo, vocata Mater, & ſuæ præſentiæ ſplendore atquè claritate, incarcerato affulgens militi, per imum amnis vadum, ad littus incolumē deducit. Quod quidem ille, ſuæ ſalutis periculum emenſus, adit ſuæ liberatricis adytum: ſiſtit ſe ei, quæ ſuam vindicauit vitam, & tranſeūdi inter decurſus aquarū liberam permiſit facultatem: Deo ſe, non tàm ſuo quàm ſuæ ſoſpitatricis merito renatum impensè obligat & ſubſternit, receptamque miraculosè vitā, quæ violētiæ aquarū ſuccubuiſſe debuerat, pro aris & focis, egregius Aquilæ Polonæ pullus vouet effundendam, quin cuius inſolentiam victoriæ, Othomanicæ nimirum effugit, eiuſdem Lunis fortiùs ferro perſequendis animum præparauit. O incredibile Virginis Beatiſsimæ, in eliberando homine ſtudium! ô nouum ſeruati militis argumentum! Quid? ipſo armorum pondere in aquis volutari neceſſe erat Cataphractum, nec vllâ corporis & animi contentione de profundo aluei ſitu explicari: MARIA Duce, lubricas centri orbitas & demolitos aquarum calles perua-

peruadauit. Quidni nouum & inusitatum seruati militis monumentum, in Virgine apparet ea, quæ terribilis vt castrorum acies ordinata, totos exercitus & castra, in metu hostium posita, sæpè ab impressione barbarorum, & fædifragâ gente, defensauit. Quoties eam in prælio, vbi incerto dimicatur Marte, quoties eam sibi in defensione vrbium, atque adeò totius Patriæ, ciues nostri, fortißimi viri, clarißimi: quoties Duces, adesse, fauere, patrocinari aduertunt? Næ ego hîc Serenißimorum & Inuictißimorum Poloniæ Regum, felicißimorumque huiusce imperij Ducum singula commemorare beneficia à Deiparâ (à quo nomine cantilenam, Diuo Adalberto authore, ad sua castra inductam ante conflictum, vnâ voce, eodem concentu, compari mente, Poloni solent exordiri) exhibita laborarem, nisi me in simili re Lezayscense etiam Templum informaret. Prouidit huius loci celeberrima Præses, ne in geminâ causâ, communi castrorum præsidio, a se quouis loco & tempore implorato, Polonis deesset, vel longè abesset. Tantùm huic quoque dedit peripheriæ, vt cuiuis rectè credentium & Catholicam fidem profitentium necesßitati, omnique periculo suffragetur. Testes sunt, æternumquè erunt, appensi in hac sacra Æde labari, quos vertente anno à CHRISTO nato supra mille sexcentos primo & vigesimo, Henricus Annibal & Nicolaus Wiktor, è bello Chotimensi, feliciter & incolumes redenutes, perenne suorum castrorum seruatorum monumentum, reliquerunt. Loquetur posteritati Polonæ, Marci Malicij, qui eodem graui & periculis pleno bello pedites Regios & Palatini Rusßiæ (quem nunc Cracouiensem suspicimus, qualem ac quantum virum!) suâ regebat clauâ, insigne reportati beneficij relictum. Hic enim (cùm nihil aliud in tam desperatis & luctuosis patriæ rebus agendum placeret) in periculosa castrorum oppugnatione, quàm ille nomini Iagellonico infensißimus hostis Caracas Bassa ad Chotimiam omni armorum equitumque suorum vi fecerat, facto visitandi hanc Ædem proposito, suos socios ad supplicem Deo Diuæquè deferendum libellum admonuit, & genu flexo exorandum Numen, nomenquè Virginis Excellentißimæ, cohortatus est. Omnes, maximum in his præsidium ponentes, paruerunt suo Præfecto, cui parendi officium semper tenuerunt. Suis diffisi armis, deponunt ea, nec victoriæ in his collocandam spem, nisi cælo venerint vires, contestantur. Vnius voti & animi cohors, tantùm sibi profecit, vt vnã, quam expetijt, impetraret salutem. Etenim illis adhuc orantibus, & toto corpore animoquè ad preces intentis, nuncius aduenit Caracas Bassam grauißimum oppugnatorem castrorum, occisum afferens. Læti nuncio, totam belli molem ruituram, cùm Imperator & Dux ho-

Dux hostium caderet, inclamârunt, totisque castris gestientes, voti memores ad extremum constiterunt. Scitis A. O. illud bellum ita fuisse magnum vt vix ferendum ;ita graue, vt in multa sui varietate vix consequendū nostris videretur: & verò vnius Virginis fauore & prouidētiâ, ad acerrimi, & fortissimi, prout ferebatur, Ducis casum totum corruit. Cùm enim in huius ipsius, qui excidiū florentissimo Imperio Poloniæ superbissimè machinabatur,atque suis nefario scelere susceptis armis minitabatur, salute vniuersa illa maleferiatorū capitum vis, & Machometicæ prolis in nostrū malum cōsensio fuisset defixa: non potuit ille spiritum & vitam amittere, quin plurium secum in eandem calamitatem traderet. Seruata videat Patria, quanto ad merita & preces Virginis, quanto ad Phanocratis (CHRISTVM intelligo) eam, quæ à se Matri debetur pietatem liberata sit periculo, & illam in hoc esse loco positam ad maximum suarum rerum præsidium glorietur. Est enim hæc non eorum tantùm qui corpore & fortunis, sed etiam horum, qui animo nocere mentemque affligere solent hostium Repugnatrix. Et si maior illis semper habetur grati animi significatio & memoria, qui mentem informant, meliori & potiori iure, quàm qui corpus perficiunt, probantur: quātam huic Diuæ laudem impertiendā censebimus, quæ se non ad corporis tantùm salutem reddendā, sed ad animorum etiam quietem conferēdam officiose apponit? Neque vero mihi alia occurrit ratio, qua huius loci beneficium eo se extendat, vt & animi & corporis hostibus metuendam se præbeat: quàm quod CONSOLATIONIS dici haberi què mereatur. Sunt aliquâ calamitate affecti homines; hîc se suo tristi malo exoluunt: elicit ex aliquorum oculis lacrymas, funesta pereuntium, & iam perditorum facies; in copiosos lætitiæ alueos, hic illos conijcit locus: obsidet hostis munimenta corporis & animi; in se sui sceleris conuertet audaciam, cùm sua & obsessorum studia in hac Lechicæ Patronæ reponentur cynosura. Verentur eam, quæ toti mundo peperit saluatorem, Militiæ cælestis Imperatricem, confertissimæ nostrorum hostium acies: reponunt in nostra latera conijciendos, defigiendosquè in nostro pectore gladios, & quam nobis iniquissimè intentârunt seruitutem, eam in se coniectam paulò post conqueruntur. Nulla, ego puto, maior hosti depressæ licentiæ, quæ sint ab illo in armis posita, constare potest ratio; quàm irritos videre suos conatus, & bellū magno militum numero atq; summâ vi armorum conflatum amittere. Quod verò grauior animorum nostrorum latrocinio opponi potest munimentum, quàm quod ex Deiparæ commemoratione forti fideliqúe prodit? Improba & insana hominum malè ominantium, & vouentium imprecatio, miserâ ho-

minem

miuem exiguâ ſtipè Trzemſenſem colentem agrum obſidione, Anno decimo quarto ſupra milleſimum ſexcenteſimum, afflixerat, ad animumq́ue & corpus occupandum teterrimum perfide inuitârat omnium vitiorum & ſcelerum documentum Dæmonem: in hoc cæleſtium beneficiorum emporio, commiſsam ſibi deprædandi copiam, perditiſsimus leno depoſuit, & amiſit. Cùm enim ad Imaginem hanc, quæ præſentem, & audientem Preces & ſuffragia hominum in hoc loco denotat, duceretur obſeſſus, in conſpectuq́ue Virginis calamitas, quæ à tãto malo profecta eſſe videbatur, exponeretur: egit contra iam in feſtum nefariumq́ue hoſtem ſacrorum Miniſter, quaſi quibuſdam validiſsimis ad euincendum armis verbis illis *Per merita ſanctiſsimæ Virginis & Matris, atq; per interceſsionem illius, in hoc loco conſolationis, præcipio tibi Satana, vt exeas ab hac creatura Dei.* Pare: vincitur: recedit perditiſsimus latro, horrendæ vocis ſigno edito atquè prolato; Ecce iam exeo, exeo. Et meritò quidẽ hîc malignum ſpiritum ſuâ impudentia & improbitas defecit. Nam ſi optimi & ſummi Imperatores, ac quorumuis adminiſtratores bellorum, maximum in opportunitate loci reponunt momentum, & locum beneficio naturæ, ingenioquè munitum humano, ſatis acrem ad defectionem ſtimulum eſſe arbitrantur: hoc certè LEZAYSCENSE Sacellum ad animorum noſtrorum latronem fugandum, eſt comparatum. Quis enim eſt ita infeſtus animorum noſtrorum inſeſſor, qui in hoc exhibitus loco non ſubitò de fuga cogitet, ipſamquè actutum moliatur? Ita huius loci metuendus eſt hoſtibus noſtris aditus, vt quâuis durâ ſeruitute miſeram hominum conditionem expediat, & reuocatos improbiſsimorum flagitiorum authores ab immani facinore temperet. Darius Rex, locum quendam nomine Myrcinum ad Strymonem Thraciæ fluuium, Hiſtiæo Milleſiorum Tyranno ob ſeruatam in Iſtro ratem donauit, vt ſibi in eo vrbem & domicilium excitaret. Non ſpreuit munus Regis Tyrannus, vt pote, quod animi & induſtriæ ſuæ perenne futurum eſſet monumentum. Sed Rex à Megabyzo copiarum ſuarum in Europa Præfecto de loci opportunitate admonitus, Hiſtiæum, ne fortè regnum Thraciæ inuaderet, Suſum euocauit, & nunquum poſtea in Græciam redire permiſit. Honeſtâ Rex fraude egit, ne infami poſtea nomine ob immiſſum cum ferro in loci commoditatem Regni ſui, vt putabatur, prædonem, notaretur. Satiùs duxit ſimulatâ tractare Tyrannum humanitate, quàm aperto & illiberali exhibere imperium latrocinio. Quid enim ille, nactus loci opportunitatem, non ageret? quid in ſuum, à quo accepiſſet beneficium, abſentem, cum in præſentem nihil auderet, Regem non moliretur? ipſa illa eum ad omnem furorem tem-

Herod: lib. 4.

pestiua effrænaret possessio. Sed prudentis Megabyzi, tùm in Regē, tùm in regnum fides, quasi futurorum faciem videret, manum Regis ab eâ liberalitate retraxit. Videbatur, credo, sibi regnum Thraciæ videre, Martis domicilium, atque furiosam bello regionem, subitò vno incendio concidentem: cernebat animo, sepultum regnum, miseros atquè insepultos aceruos ciuium: versabatur illi ante oculos aspectus Histiæi, & furor in Thracum cæde bacchantis: proponebat quoquè sibi regnantē Millesiorū Tyrannū, qui sibi suâ immanitate & ferro imperiū in Thraces pararet: tum libertatē ciuium oppressam metuebat: quæ quia sibi videbantur, prout certè fuerunt, misera atq; miserāda, idcircò in eumquem ea perfecturū esse credebat, ita institit ardenter, vt de oblata Regis gratia quàm primùm concederet. Age verò hîc (pyratā intelligo mētis nostræ satanā) in possessionē animi perfidè vocatus hospes, quid non fecit? quæ ad oblatam sibi occasionē non adiecit? cùm & omnes mētis impetus, arbitrio suo gerendos & regendos assumpsit; cùm virtutum exercitia & vsum amouit; cùm ad occupandā nobilissimā partem hominis omnē suam conuertit facultatem, & procurationem confundendæ mentis suscepit. Qui nisi amicorū opera id, quòd Virginis adiret regiam, suffecisset cōsilium, fatalem parare animo, diem non desijsset. O diuinum armamentarium, in quo omnium præsidiorum ratio reposita est! ô scuto Mineruæ fortius & certius nomen MARIÆ, quod expositum omnes hostium insultus comprimit! ô felix LEZAYSCENSIVM camporum series, quæ nouis inclarescit & fæcunda est fructibus! ô gratiosi saltus, ex quibus tam vtiles prodeunt rami! hic tibi meta datur satana: hic *confringes tumentes fluctus tuos*: hîc Deus constituisti terminos eius, qui præteriri non poterunt. Ad varias nimirùm morborum dolorum què vices auerruncandas hîc locus est constitutus. Hic Æsculapius, id est, aëris temperies Hippolitum, hominem scilicet, ab equis discerptum, elementorum intelligo pugnam & indiscrectam portionem, vitæ restituit. Hinc toxicati ad veneno sibi propinatam mortem depellendam, accipiunt amulethum: hinc obstetricantis Lucinæ opem, zonam soluentes fæminæ, in edendo facilè partu sentiunt: etiam quos amentia & furor suus in Auentinos egit colles, in hac eminentis aggeris arenâ deponunt lasciuam suæ licentiæ procacitatem. Quis numerando recensere, aut dicendo assequi potest, quæ & quanta huius loci maiestas homini largiatur beneficia? quæ par tanto Virginis merito inueniri potest in agendo oratio? quod imparem sentit in referenda gratia nostram A. facultatem. In dies ferè singulos, in hoc suorum miraculorum Theatro, Deus per merita & suffragia Virginis singularium exhibet beneficiorum specimina:

Iob. 38.

Pausanias in Achaicis.

totos

totos annos, modò adſint inopes & infirmi (quorum hic orbis fera-ciſsimus eſt) qui materiam porrigant agendi, in hac luditur & ſpe-ctatur arenâ. Succedunt hîc nouæ ſemper rerum facies, & noua ope-rum forma, cum oriẽte ſole renaſcitur, ne plenitudo illa gratiæ, quam Paranymphus futuræ Dei Matri ſubſcripſit, aliquam pati defectio-nem videatur. Quod in officinis, tabernisquè mercatorum obſer-uari ſolitum exploramus; hoc in eo communi omnium noſtrûm A-ſylo Deus, ad ſuæ largitionis euidentius & luculentius teſtimonium, & meritiſsimæ Virginis cumulandam gratiam exercet. Solent re-rum venalium expoſitores, & monopolæ ſuis addere aliquid menſu-ris, & ſtaterarum pondus ſuperpondio compenſare, vt aliquod hu-manitatis & liberalitatis ſuæ apud homines extet monumentum. Quam Deus ſuâ præuenit benedictione, & quàm ab Originali tuta-tus eſt noxa Virginem, eam nouis & largè ſe effundentibus exornat gratijs, & opera operibus copiosè ſubijcit, miracula nouis miraculis humaniter cumulat. Si enim Diuinæ prouidentiæ in rebus his, quæ ſub ſole vegetant fouendis & impertiendis, eam ſuſpicimus rationẽ, vt multa ſimul inducat vitæ præſidia. Quis enim non aduertit, quã cæli aſtrorumquè clementiâ, multiformes copiarum prodeant ſpe-cies, & ſemper addatur aliquid, quod maiori cum fænore, quàm cre-ditum ſit, veniat? Hanc nouis ſuis meritis fæcundam non debuit Deus facere Virginem, quæ omnium eſt fæcunditatum nomina in ſe cõplexa, & cum qua ſemper eſt manus Domini conuerſata? Quid quòd omnium noſtrûm ratio id, quod liberaliter, quæ noſtra eſt fe-licitas, multis agitur in locis, poſtulauit, vt cùm noſtræ ſint ita infir-mæ vires, vt ijs quos vis naturæ corruptæ defectus & frequentes re-rum abortus ſanare non poſsimus: haberemus talem aliquem rerũ noſtrarum obſidem, à quo talia nobis deferrentur, & qui noſtras a-pud Deum ageret partes. Certè, niſi hæc Auguſtiſsima cælorum Re-gina, noſtris fortunis, bonis ſaluti, vitæ rebus conſuleret, multorum integritas deſperatione reſumendæ in afflictatione aliqua vitæ, flu-ctuaret. *Quod Tullius Marco Cælio, Aedili Curuli, adſcripſit olim. Noui ego vos magnos patronos, hominem occidat oportet, qui veſtra opera v-ti velit:* idem ego, multo meliori & fidentiori modo, acerrimæ ac fortiſsimæ huic noſtræ ſalutis vindici tribuendum cenſeo. Noui ego Te magnam humani generis Patronam, cæcus, naufragus, afflictus, mortuus fiat oportet, qui Te liberatrice vti velit. Tibi acceptam tulit vitam Natrvvozenſis villa, recurrente anno à Tuo feliciſsimo & puriſsimo eodemque ſanctiſsimo partu, ſupra mille ſexcentos, quarto & vigeſimo, cùm ſui Domini filiam vitæ reſtituiſti amiſſæ, quam vix nata perdiderat, quin immò, cùm eius infantis adhuc lin-guam

Cic. Epiſt. Fam. lib. 2. Epiſt. 14.

quam erudiuisti, & repugnante naturâ, cùm citra ipsius ageretur tẽpus, ad enunciandum illud Iam tandem adegisti. Tu subsidiariam præbuisti operam Michaëlis Mosinij consorti, quæ incursionibus Tartarorum perterrita, fugâ sibi quæsiuit salutem: eandem partui, quem vtero gessit, incitato suo gressu (equi enim in tanto negotio acriùs acti conciderant, nec prosequi cursum poterant) præclusit. Funestus Matri sentienti casus, triste querelas Coniugis excipienti Patri spectaculum: vterquè parens animo & corpore laborat, alteri eorum inualescente vi doloris. Ipsa mater in se effodit suo sepulchrum fætui, & quæ vitæ subsidia salutisque alimenta optatissimo deposito sufficere debuerat, hæc mortem potiùs, quàm vitam comparauit. Consuluntur in arte Medica versati; frequentantur apothecæ: pretio parantur ea, quæ demortuum euocare possent pignus, medicamenta. Nihil proficit; nobilis fæmina cum dolore sine prolis editione parturit: quam fugâ recepit salutem, hanc intercepto suæ domûs solatio in discrimen adductam deplorat. Exsangue onus detinetur Mense, nec alterius iam maior pars mensis expedit exanime corpus. Te, ô lectissima Virgo, exemplarque Virginum MARIA, implorandam consuluit luctuosa parentum facies: ad Tuam hanc Augustissimam Templi fabricam accedendum præcipit dolor, quo grauis & confecta matrona, in hoc Tuum Natum, Tequè exorat loco, Tibi se afflictam in hac Cõsolationis Æde prosternit. Audis supplicem, quia vides tristem, & squalidam doloreque cumulato ègredi eam iubes; & anxiam graui curâ & virium defectione proximum ingredi tuguriolũ cogis: paret illa immisso languori, atque se (cùm interim conductæ decantantur Tibi Litaniæ) diutinâ exoluit sarcinâ. O nobile Consolationis receptaculum, in quo afflictionis inuenitur modus, quod sollicitudinum definit terminos, cuius aditum difficultates morborum metuũt, ad cuius vestibulum omnis timor alliditur! Fingat sibi chimeras omnibus circulis & tonstrinis ridenda vetustas, atque suis circumforaneis circulatoribus fidem & locũ habeat. Glorietur Claudiam vestalem sese discinxisse, zonâ suâ nauem, quæ nullâ vi remigum, velorumque ope, loco, cui adhæserat, poterat moueri, aligâsse, & quamuis in partem flexisse, & ad Tiberis compagem appulisse. Prædicet Tutiam Vestalem, ad Capitolium vsque aquam Tiberis, cribro haustam, detulisse. Venetur auram apud imperitum vulgus Tarquinio suo, quòd cotem nouaculâ dissecaret. Clamet vt ab vltimis etiam suorum errorum socijs audiatur, Vespasianum dedisse cæco lucem, & oris sui saliuâ, Alexandrino restituisse oculos ciui. Vnam ego fidelium CHRISTI Ecclesiã, immò LEZAYSCVM illius opponam gloriolis: mouebit certè camarinam,

Tacitus lib: 4.

rianam, cùm eorum, quæ nostrâ fiunt ætate, veritatem cum suâ cõferet vanitate. Nãque illa cæci curatio, non cœlesti fauori & Numinis inclinationi, quod Tacitus ait, attribuẽda; sed potiùs Appollonij Tyanæi Magorum omniũ celeberrimi, & ipsi Vespesiano cõiunctissimi, præstigijs, & cũ Dæmone commercio. Atque etiam illud, quod Tertullianus, grauissimus & nobilissim9 Ecclesiæ Doctor, vsurpat, futili eorũ cõmento subruẽdo lubẽs adscisco, Dæmonẽ illi oculo insedisse, vsumquè illius impediuisse, vt videretur Imperator sanare, cùm desineret elusor infidelitatis & præstigiatorum princeps nocere. Ita quæ illis temporibus vera sunt visa: nos ea, vt procul à fide Orthodoxa abhorrentia, detestamur. Cùm enim veteris æui homines diuinam potentiam & Numen suis Ducibus, & in re aliqua egregiè acta atque transacta probatis viris tribuerent: prædo animorum nostrorum, ad eorum tantos errores inuigilabat, & benè administrandi res copiam suppetebat, vt id, quod ipse sibi, cùm esset adhuc in illa beata, ab omni corporis contubernio segregatorum spirituum cohorte arroganter & superstitiosè vendicauit, commune faceret Deo & hominibus. Nimirum, sui fastûs & temeritatis in animos hominum ingesserat sementem, vt mundus improbè concepto tam impio semine, generaret Deos, qui sibi & nomina & Thronos Diuinitatis erigerent. Erat hoc superioribus annis, A. vt passim Dij Dominiq; Cæsares & Reges audirent: cuius rei authorem fuisse Dæmonem agnoscere vel ex eo possumus, quod ad CHRISTI aduentũ talium nominum, & soli Deo debiti honoris, vsus & vendicatio cõcidit. Suscitauit nunc Deus tot suæ agnitionis & scientiæ documenta: probauit tot beneficiorum indicijs, tot locorum beneficijs, in se omnem ponendam spem, à se quamuis implorandam opem: dedit vnam hanc Virginem, virtutum omnium, ac singularium meritorum compendium, quæ inter se & hominem, pacem fædusque faceret, ipsam se pro nostra interponeret necessitate. Quam quidem non suarum tantùm gratiarum, & meritorum fæcunditate, ornauit, sed etiam plerisque eam in locis miraculorũ manifestauit insignibus. Quid enim ille, Matri suæ non debere se agnoscit? an legi suæ, quã de honorandis parentibus instituit, suo exemplo quicquam derogare intendit? Marciusnè Coriolanus, aliâs ad omnium preces surdus & inexorabilis, Veturiæ Matris suæ preces paratior esset exaudire, quàm CHRISTVS MARIÆ? Rigidior profectò legis obseruator debet esse is, qui eam condidit, quàm qui ad parendum ei natus. Asserunt sibi licentiam violandi leges licentiosi nepotes & Imperiorũ successores, vt quarum ferendarum ipsi non extiterũt Authores, mutandarum volunt haberi principes. Perstringunt sæpè aures ciuium

Dionis. Halic. lib: 8. antiq: Rom.

 & affli-

afflictorũ hominũ, vocibus illis Caligulæ *omnia ipsis & omnes licere:* & illis cùm perfido iustitiæ præuaricatore. Sallustiano Memmio, *Impunè quodlibet facere,* id est regem esse. Qui verò principes extiterunt ad proclamandas & rogandas leges; ijdem ad exemplo suo tuendas primi prosiliunt, vt quæ rectè viuendi instituta consilio suo induxerunt, ea seueritate & rigore stabilita suis relinquere posteris adlaborant. Ne aliquod suæ præiudicatæ legis, quam Locrensibus tulerat, adulter oculis orbaretur, extaret venturo tempori argumẽtum, cùm in suo eam filio, vnico quidem, sed adultero, exequi per preces non liceret populi, communione sanguinis, non sceleris coniunctione, se vnum esse cum filio asserens, vt saluaret suam legem sibi vnum, alterum filio erui oculum iussit, non melior legis lator, quàm tutor & obseruator Zaleucus. Publicæ pacis & otij defensor Charundas, Thurijs edixerat legem, ne quis cum telo in concionem veniret: qui secus fecisset, capitis reus esset. Euenit, vt ipse ex longinquo rure veniẽs faceret Concionem, ad eamquè sicut erat, armatus accederet,, ab eoque, qui proximè constiterat, locutæ à se legis suæ monitus: Me hercule, ita est, inquit; sed idem ego illam sanciam, ac protinus ferro, quod habebat, districto incubuit. Ita ille debitum supplicij modum legi reddidit, cùm se & misericordem patrem & iustum legislatorem ostẽderet: hic ne qua iustitiæ fraus fieret, pænam repræsentare maluit, quàm cùm licitum sibi esset vel dissimulare, vel errore culpam defendere. Et verò CHRISTVS non tam ex vi legis, quæ nullam imponere potest Deo necessitatem, quàm suæ Matris merito præclaris eam exornat honoribus: vt quæ suo cõplexa est diuinitatem vtero, eamque humanitatis circumduxit specie, in præmium tantæ hospitalitatis, à Filio præclaram & gloriosam honoris prærogatiuam reciperet. Nec profectò magis pro illo officij studio, ECCE ANCILLA DOMINI, manere debebat Virginem MARIAM authoramentum, non fertilior gratiarum sementis, quàm vt cùm hanc mortalitatis stationem castè, purè, integrè, prudenter, innocenter, & penè diuinè expediret, supraquè beatarũ Mentium Choros, Diuorumquè Thronos extolleretur, nihil mundo relinqueret aliud, nisi & sui nominis iucundam salutaremquè memoriam, & humani generis liberalem, facilemque defensionem. Et quanquam suffecisset Clementissimæ huic nostrarum rerum Patronæ, tanti Filij, Mater audire: cùm tamen hominum causas apud Deum agendi, de nostra salute votis & precibus dimicandi, ad nostros recreandos defectus indignationem Diuinam inclinandi accepit potestatem, magno se cumulatam Dei beneficio deprædicat. Quod tantò ei lubentius obtulit Deus, quò se demissius eius subiecit volun-

Valer. max. lib. 6. cap. 5.

Idem ibidem.

rati: atquè illa hoc fideliùs retinet datã sibi eam pro nobis agendi nobisquè proficiendi authoritatem, quòd cùm genuisset Deum, nostrum omnium meruit Mater appellari. Quanquam in hoc nomine diuersam habet conditionem: à Filio enim, quem vindicandæ salutis nostræ causa conceptum sustinuit, vagientem pauit, ætate proficientem seruauit, ad extremum vitæ spatium non deseruit, cùm & patientis in se tulit dolores, in impetrando honoratur; à nobis in postulando sollicitatur & imploratur. Singularis nimirum ac propè incredibilis Augustissimæ Reginæ Cælorum in Orbis, atquè adeò omnium nostrûm custodienda salute labor ac fides, multos sibi eosq; iam eximijs insignes beneficijs ad tantum studium exercendum suspicit inauguratos locos; vt cuius officium semper humano generi saluti est, huius auspicatissimo Nomini omnium temporum ac locorum ratio & fortuna suffragetur. Censent homines omnia sua vitæ præsentis commoda, fortunas, rerum apparatus, auri & argenti cælati vim, ipsam demùm salutem ac vitam seruatam, huic soli secundùm Deum esse referendam, in cuius beneuolentiâ, præsidio, custodiaquè, sine vllo amittendi illa vniuersa metu, conquiescunt. Ita & eorum, quæ seruantur integritas, & eius Virginis, quâ mediante omnium bonorum copia defluit, authoritas propè suo iure exigit, nõ vnius temporis & loci debere esse id, quod acceptum est; sed dignum censeri, vt omnium notitiam & aspectum adeat, ingrediatur, subeat. Quis enim succensebit, aut ibit inficias? tantum illi, cuius beneficio id quod vel maximum in vita expetitur, aut amissum restituitur, aut diminutum reficitur, concedi ac tribui: quantùm huic, qui eiuscè rei author & princeps sit, vix conceditur & tribuitur? verumenimuerò maioris est occasio lætitiæ, eam rem quam cùm possideas, restitutam capere, quàm nunquam antea possessam obtinere. Pluris eum sæpè facimus, qui nos vel naufragio absorbendos, vel ferro hostili occumbendos, vel igni supposito in cineres demoliendos, siue ruinâ quauis aut casu conterendos, morti inquam viciniores, quàm saluti propinquiores ad vitam restituit, procellas & æstus vndarum componit, tela in nostrum educta iugulum hebetat, flammâ & incendo eripit, molem, quominùs opprimamur, sustinet: quàm eum, qui nondum quicquam aduersi perpessos, communem hanc quàm aspiciamus lucem, & quâ fruamur vitam, & quâ spiremus, animam inuitat & accersit. Cùm enim dubiam hîc, qui producendis nobis suam impendit operam, viuendi dederit rationem, à quâ iuxta alienam & remotam, ille qui seruandæ ac tuendæ nostræ saluti studuit, suffecerit: maiorem nobis, qui seruat, quàm qui nos generat, præstare putatur gratiam. Quid quod

nos nascendi beneficium & futurorum metu affligit, & præsentium funestâ specie deterret malorum: seruandi fides, & venturis præsidet, & instantibus opponit vibices periculis. Incertam ingressus vitæ orbitam, qui natus est: vnam indubitatam, eamque felicem temporum suorum accipit vicem is, quem vindex & assertor suæ libertatis in bonorum conuertit partem. Non beneficium tantùm agere, sed nomen etiam parentum mereri videntur ij, qui nostræ salutis, fortunæ, conditionis tutores extiterunt, defensoresque audiuerunt, & si quod officij ac pietatis exposcunt argumentum, tantò studiosiùs tribuendum est illis, quantò contentiori passu, in ornãdo nostro nomine, & dignitatis censu restituendo, elaborârunt. Pater patriæ audiuit Tullius, quòd populum Romanum, atque adeò illam orbis vniuersi domicilium vrbem, ferro ciuili, æstu domestico, flammâ suorum, bello intestino, prohiberet. Conflagrâsset illa omnium gentium ac nationum norma, æquitatisque publicum exemplar, ciuium discordiâ: nisi opposuisset suæ orationis vim Catilinarijs motibus, Syllanis proscriptionibus, Antonianis conatibus, bonus ciuis & Pater Patriæ Cicero. Et verò cùm seruatos homines censere cupio, eorumquè vitæ restitutæ ac salutis receptæ principem exquirere: mea me, atq; adeò omnium vestrum Auditores recreata, & erecta integritas impensè admonet, non extitisse, secundùm Deum, vindicandæ & liberandæ humanæ conditionis principem maiorem, quàm eam Virginem, quæ omnium rerum & bonorum authorem Deum vtero complexa, omnium est gratiam & agendi facultatem prætergressa. Hæc est humanæ salutis tanta & tam benigna assertrix, vt nisi hæc suæ benignitatis sinus & fauores nobis exhiberet, paucorum pæna, quod in tanto & tam periculoso insidiosoquè vitæ curriculo vix optandum videtur, nos omnes salui esse non possemus. Hæc cauet, ne quis impunè intereat: hæc prouidet, vt indignantem deliquentium audaciæ Deum de conceptâ puniendi seueritate deducat, & cùm sua Maternæ pietatis viscera, quibus Deum & Hominem pauit, aluit, lactauit, ostentat, emittendos ad obruendum nostrum nefas Diuinos furores in lenitatem & clementiam transformat. Hæc nostri corporis vitia & næuos corrigit: eaquè, quibus vel natura nos deflorauit, vel casus mutilauit, vel improba incumbentium hostium vis affecit, liberaliter implorat. Hæc ad excutiendum veternum, animi præsidia, rationes, modos, documenta subrogat. Hæc dolore confectos reficit, languentes excitat, iacentes erigit, & virtutis obtinendæ ac tuendæ sufficit facultatem. Et quanquam omni in loco, & omni tempore, nostræ calamitati leuãdæ vocata adest: præcipuos tamen cõferendorum beneficiorum locos sibi deposcit; non quòd locorum viciniæ

viciniæ, & Coloniæ, municipiaquè paulò remotiora, difficilem eam in ſuis votis & anguſtijs ſentiant, ſed quòd neceſsitati noſtræ ſingulariter prodeſſe, adeſſe ſemper cupiat. An exile tanti in nos ſtudij monumentum eſt locus hic LEZAYSCENSIS, quem tantis iam miraculis illuſtrauit? An hìc pauca, poſcentibus ſuam opem, erogauit beneficia? an ſe hìc illiberalem, & inhumanam præbuit alicui, vt eum non voti compotem dimitteret? ſed non tantùm ex his MARIANIS locis certa & firmiſsima vitæ adminicula referimus: ſed accedit etiam nobis in fide robur, & contra quoſuis fidei rebelles validiſsimum munimentum. Voluit nempè Deus, vt ſibi fædere Sacramentorum, fide ſuorum Diuinorum effatorum, religione ſacrorum, ſecundùm ordinem Melchiſedech inſtitutorum deuincti homines, his, quæ citra opinionem, & naturæ ordinem, ad Aras & Icones Diuæ fieri videant, firmiores euadant. Et quantumuis tantis iam præſidijs abũdemus in Eccleſia Catholica, vt maioribus indigere non ſit neceſſe: cùm tamen etiam hoc præſidij Dei munere adueniat, noſtro bono id factum putemus. Eſt quod nos in Eccleſia & delectet, & retineat; eſt quod in lucta confirmet, poſt pugnam coronet. An enim non ſatis eſt, quòd eorum, quæ Orthodoxæ religionis recepit panegyris dictorum factorumquè ſit conſtantia? quòd inter tot tenebrionum ſannas, & procellarum voragines, fidem noſtram nunquam ſentiamus naufragari? quòd vna eademquè, apud diuerſæ licet vitæ & morum homines, ſit rerum ſacrarum adminiſtrandarum ratio, vnus idemquè ordo & vſus, atquè ſucceſsiua ſummorum Pontificum in prora huius Nauis CHRISTI reſidentium poteſtas permaneat, vigeat, teneatur? Cùm verò etiam hæc ſummus ſummæ Matris Filius per eius interceſsionem & merita operatur: magnum eſt ad noſtram fidem confirmandam & ſtabiliendam argumentum. Publica id profeſſus eſt voce D. Auguſtinus Doctor Eccleſiæ, de Eccleſia ſcribens: *In qua me tenet*, inquit, *populorum ac gentium conſenſio, ſacerdotum item ſucceſsio, ab ipſa ſede Petri Apoſtoli ad præſentem Epiſcopatum, authoritas, denique miraculis inchoata, ſpe nutrita, charitate aucta, vetuſtate firmata.* Atque etiam illud ex eorum ſpectaculo miraculorum procedit A. O. quòd tantarum admiratio rerum, quas in Ædibus puriſsimæ Virginis fieri, toties humana, experitur calamitas, eorum, quos vna fides, vna Sacramentorum doctrinæque regula in Eccleſiâ ſuſtinet frequentiam, atque adeò ipſa tantæ rei fama & gloria ad inuiſendas ſacrorum areas locorum incitat & admonet. Confluit diuerſa hominũ multitudo, non tam curioſitatis explendæ gratiâ aut celerum curſorumque officij defungendi causâ: quàm ad ſuæ triſtem repellendam ſortem vitæ, & inprimus ad debitas Deo pro tam ſingu-

Contra Epiſt. Manichæi Cap. 4.

lari eius meritò gratias impensè referendas. In his locis, multorum studia in eadem conspirant vota, in vnas Dei Matrisque eius integerrimæ laudes consentiunt: in his varia exposcentes pro suæ diuersitate necessitatis, dispari, eodem tamen diuinæ clementiæ sinu, cumulantur beneficio: ex his, tãquam ex Ægypti septenni horreo, in summâ bonorum animi difficultate & inopiâ, luculentissima reportantur vitæ subsidia. Iam verò temeritatẽ peruersè credentiũ condemnare, & obscuras animorum nubes huiuscè rei ratio solet illustrare. Quem enim res nouæ & extra omnem expectationis aleam positæ à scelere, non deterrent? quem non in recto statuunt vitæ atque actionum genere? quis ita ferus & immanis est, qui tales Ecclesias non vt docentium exedras & quædam lycæa sibi esse censeat, quæ se cognitionem Dei Diuinorumque edoceant? Quid quòd Hæreticorum sectas & perfidas opiniones, ex tanta munerum ac beneficiorum Dei serie consurgat ratio confundendi, vt & stultitiam eorum conuerti necesse sit in furorem & scelus, quod improbè sunt Ecclesiæ machinati in execrandum liuorem. Cùm enim locis sacris obedire, quasuis corporum afflictiones; fugari omnes animorum obsessores, obrui nouercantis fortunæ machinas, extingui funestos periculorum metus vident; pallent, liuent, contabescunt, affligantur. Optarẽ hîc, vt isti Catholicæ rebelles fidei, tam illustri & incredibili propè miraculorum expectatione, ad verum CHRISTO merẽdum stipendium, & eius integrè fidem profitendam ducerentur: nisi scirem multos eâ ratione, errores, impiè & stultè conceptos, deseruisse. Sunt Deo multi, ijquè efficaces modi, quibus ad sui cognitionem propellit infideles. Verum enimuerò funiculus hîc, quò nos suorum beneficiorum prodigiosâ copiâ trahit, iuxta quàm potentissimus est. Si trahit sua quemque voluptas, hunc opum, hunc ludorum, hunc rei cuiuspiam alterius, tu Deus mea vna voluptas sis, & à te hic trahar, & à mundo abstrahar, dum eò perueniam, *vbi torrente voluptatis tua potabis tuos*! *Trahe Deus in funiculis Adam, in vinculis charitatis*; curri-
Osee 11. mus in odorem vnguentorum (miraculorum inquam Tuo beneficio proficiscentium) Tuorum. Nempè, ita Deus interno quodam suasu & suâ gratiâ, tacitè mentem instigante ad se vitiorum & errorum cuniculis, irretitas animas cogit, atquè ad cælestem suauiter gloriam disponit. Hac vsus est ratione, in illa prostituta & sui copiam faciente muliere, à mundi illecebris, ab illicito corporis questu, ab immoderato & insolenti cultu, ab (vt extremum id ponã, quod summum & maximum est) obliuione sui reuocanda. Quod enim erat genus voluptatis, quæ illecebra iuuẽtutis, quod probrum defor-

mitatis, in quo ſe Magdalena non exercuiſſet? cùm verò Deus ita in malum ſuccenſa præcordia, meliore temperat elemento, quod non virtutis ſimulachrum, quæ non pænitentium Imago & exemplum extitit Magdalena? Magdalena enim illa, & illud ciuitatis in exhortando, inducendo, impellendo ad vitia ſpectaculum, terreſtris & feralis vrbi orbiquè cometa, & quauis ſtellâ crinitâ formidabilior, calamiſtris ornandæ comæ, comẽdi capitis, ceruſſandarum genarum, purpuriſſandorum ſuperciliorum maximè quondam ſtudioſa mulier, quæ quicquid mali aut ſceleris fingi excogitariuè poſſet conceperat, quæ alios ipſa amârat turpiſsimè, aliorum amori flagitioſiſsimè ſeruierat, alijs fructum libidinum fuerat pollicita, quæ vino languida, cibo confecta, ſertis redimita, vnguentis oblita, debilitata laſciuijs, corruptrix & corrupta, inter conuiuantes accubârat: hæc tamen Diuino beneficio omnium ſuorum depoſuit vitiorum deformitates, & nihil magis quàm ſuam comam cometa, & crines crinitiſsima deſputauit; quin immò nullum ſe maius & indignius facturam eſſe teſtata facinus, quàm ſi, comptiſsima olim fæmina comeretur; iam

Quod voluit, ſpernit, repetit quod nuper omiſit. Horat.

Eadem ita melioris vitæ ingreſſa callem, mutatos vſquè eò præbuit affectus, ad ſui ſceleris & licentioſæ vitæ ſocios, cum quibus induſtriæ ſubſidia, & inſtrumenta virtutis, in libidinè audaciaquè conſumebat, poſſet inclamare, quod feciſſe eam & intendiſſe non dubito, *qui ſecutus es errantem, ſequere pænitentem.* Quàm facilè patuit cæleſtis gloriæ aditus illi pendenti à CHRISTI dextro latere prædoni? D. Ambro. quàm exigui laboris ingens præmium & nouiſsimè vocatis omnibus in vinea Dei operarijs æqualis merces? ducem ſe illi & autorem interior inſpiratio præbuit. Atque etiam hîc fideles Euangelij præcones teſtes appello, quot ſunt & ſaluti reſtituti & à tenaci ſuo deiecti animo? cùm verbi & doctrinæ cæleſtis vſi ſunt inſtrumento? an paruum ad depugnandas hominum mentes in verbo Dei vllus poſuit præſidium? an non ſuffecerat illud vnum & felix verbum SEQVERE Apoſtolis, quominùs ſuarum curâ facultatum, & vitæ ſuſtentandæ ſollicitudine ampliùs tenerentur? Huius prædicatio verbi Samaritanam in Dei cognitione & ſcientiâ conſtituit, eandemque ad viui præſentiam fontis copioſiſsimè refecit. Ego verò exiſtimo, ſingulare eſſe amoris Diuini indicium, & humanæ felicitatis non vulgare documentum illud, quod in vocatione hominis ea, quæ calamitatum fieri ſolet obſequio, conſumitur. Eam enim accedendi ad Deum, viri cælo dignandi, aſſecuti rationem tantò ſe magis afflixerunt, quantò commodiorem, quàm vllam aliam datam ſibi progrediendi viam cognouerunt. Niſi D. Paulo calamitas obrepſiſſet, vas

electi-

electionis non fuisset, Doctor gentium non euasisset, ferro persequi Christianos non cessâsset, meliore suâ vitâ cælum non meruisset, nec ad illud eâ viâ, quæ est Christus, contendisset. In maximâ felicitatis parte. posuit sibi D. Augustinus, quòd Dei consilio affligeretur: quin gratias Deo egit, quòd sibi ad vota nihil succederet, cùm adhuc ea, quæ mundi sunt, sectaretur: atque hoc demùm ipsi sibi profecisse, quòd versaretur inter angustias, quæ nisi obuenissent, fore, ut partem cum CHRISTO non haberet, existimauit. Inter hæc tanta vocantis ad se Dei monumenta, superest hoc, in quo mea exultat oratio, miraculorum præsidium. Cùm enim & illis temporibus, quæ fælicissimo fructu consuetudinis CHRISTI vtebantur, & hisce nostris, facta Dei multos à fide alienos reuocârint, in fide & operibus fidei incedentes confirmârint: cùm hæc etiam nunc agantur, magnam ponimus vim in miraculorum spectaculis. Quorum edendorum varia quidem in diuersis locis excitauit & reliquit, suis suorúmque trita vestigijs, theatra: quæ tamen in Matris suæ Templis erexit, magnū afferunt ad res nostras tutandas momentum. Abscede hinc & digito compesce labellum Sallusti, nihil tuis hîc proficies verbis, *Non votis neque suppliciis muliebribus auxilia Deorum parantur: vigilando, agendo benè consulendo prosperè omnia cedunt.* Noster enim Protector Deus id, quod Salomon Bersabeæ Matri suæ dixit, ingeminat frequens; *pete Mater mea: neque enim fas est, vt auertam faciem tuam.*

3. Reg. 2.

Tuus, ô inquit Regina, quod optes,
Explorare labor, mihi iussa capessere fas est.

Virg: 1. Æn.

Non potest is Deo inuisus esse, qui eius Matri se totum deuouet: nec potest a recto pietatis & officij longè abesse termino, quem votorum ratio locis, qui titulo Diuinissimæ Virginis cesserunt, coniungit. Felix Respublica, felix est Ciuitas, quæ Mausolæum Potētissimæ ex fundamentis eductum Ducissæ & Imperatrici religiosissimè incolit, & subsidio sibi comparat. Habet suam Roma gloriam, quod sit vniuersalis Ecclesiæ sedes & domicilium Orthodoxæ religionis: habet quo glorietur, & se cæteris præferat vrbibus, atque adeo toti orbi suam prædicet dignitatem, vt pote in quem religiosi imperij sustinet habenas: Hoc tamen est felicior, quòd cuius est toties experta clementiam Virginis, eius ad æternam facti memoriam magnificè extructa, sumptuosè elaborata, frequentat Templa, & beneficiorum nomina ijsdem sacris impertit ædificijs. Eo enim consilio stat augusta Templi fabrica inter huius vrbis, quæ totius est quædam curia & prætorium orbis, mœnia, De populo appellata, quod Deipara Virgo afflictū populū Romanū, & in funestis positū angustijs, toties recreâsset. Extat & alia *Consolationis Ecclesia*, cui sic appellandæ princeps & author

& author Deipara superfuit, quæ in hoc loco multorum tollit languores, & pluribus vitæ tristioris ac deiectioris excutit indices, optata, concepto inter venas dolori, suppetendo solatia. Quid Senensibus ad felicitatem deesse? quid ad Ciuitatis suæ securitatem amplius videtur comparandum, quorum Vrbi in primario residens Templo sospitatrix humanæ salutis præest. Hi enim non suam, quam ipsi incolunt, vrbem prædicant esse: verùm sub cuius nomine deuotionis suæ receptaculum subsistit, huic tanquam legitimo & recto titulo assumpto possessori, ciuium bona & tecta ciuitatis, imperiumque hoc quod Senatus habet in populum, publicis Senatus Cōsultorum notis, & monetæ signaculis, *Sena vetus ciuitas Virginis*, adscribunt. Habet Bononia montem, in quo MARIÆ implorat frequentiùs opem, & liberalem eiusdem experitur voluntatem. Est vbi Sicilia suas curas & necessitatum libellos deponat exquirendarum, cùm ei Dreponitana vrbs, velut illa veteris Romæ spolijs hostium insignia Rostra, multis illustrem & notabilem miraculis aperit & honestissimè seruat Regiam Cælestis Reginæ. Lucet adhuc, æternumque miraculo lucebit candela, ad depellendam aëris pestilentis intemperiem Atrebatibus à communi omnium nostrûm, sèruatrice oblata: quæ quantò sæpiùs accenditur, tantò maiorem sui excitat in populo religionem. Namquè despumat & stillat guttis cerei sui alimenti, & vero depascitur igne conceptamque omnibus, præbet visendam flammam, nequè tamen consumitur, sed integras sui, extincta pro arbitrio & voluntate ciuium, retinet partes. Ad cuius quidem rei ita stupendæ frequentius experimentum approbandum, Summi Pontificis accessit voluntas, ne quid religioni talis ac tanti cerei, ex quo sic copiosa flueret vena, vt decies mille, ex se formandos, daret cereos, detraheretur, atquè nulla eius ratio vulgaris, sed omni exceptione maior haberetur. Viget in Hispaniâ, pulcherrimæ eius Virginis, quæ sponsi præconio tota formosa est, cultus, quem in monte Serrato ad Aquas Lupias, & domestica, & peregrina obseruat gens, multisquè se expedit difficultatum & curarum cuniculis. Quâ ego felicitate dignatam dixerim Italiam, quæ eam Domum, in qua suorum natalitiorum Deipara exegit memoriam, cælestis Oratoris excepit Legationem, Sancti Spiritus gratiâ obumbrata Deum est vtero complexa, eundem Thalamo suo susceptum vegetantem sustinuit, crescentem aluit, & cùm adolesceret, non paruâ ætatis parte instituit, veneratur? Magnum equidem huic regioni præstitum est beneficium, singularis exhibita gratia, quæ non humano consilio, non cruento Martis conflictu, non alio quopiam possidendi, redimendi, exportandi studio: sed cælesti Lauretanam

 sibi Æ-

sibi, Ædem oblatam suscepit ministerio. Cùm enim Cosoroës Persarum Rex, Palestinam Christianis ademisset, vrbisque Nazareæ possessionem armis emisset, vt & fæcundissimæ cubiculum MARIÆ, quod Nazaræis mænibus includeretur, in suam venisset potestatem: Angelorum manibus in Italiam transportatum est Virginis domicilium. Mundi hîc fidem totius appello, vosquè ipsos A. O. obtestor, ipsamquè loci illius dignitatem & gloriam imploro, vt hîc loquatur, vt longe disertiùs me ipso, quæ mea est tenuitas, testetur, quæ in illo omnium gratiarum & donorum Sacrario, nostri socij, homines vno verbo, referunt beneficia. Quidni ille omnibus debeat stillare bonis locus, in quo plenitudo gratiæ tributa est Virgini copiosè? Quid ni salutis depromenda sint ex illa sede præsidia, in qua primùm salutis nostræ recuperandæ Auctor operatus est? Quidni perfacilem homo sentire possit Deum in eo loco, in quo vltrò suscepit humanitatem, vt eâ Diuinitatis suæ splendorem obduceret? Verumeniuerò si diligentiùs ea, quæ in nostra Polonia, atquè in omnibus colonijs, municipijs, prouincijs, ad quas imperium Iagellonis nepotum sese extendit, huiuscè Virginis gloriosissimæ, nomine & munere aguntur viderimus, inter alias felices vnam hanc nostram Patriam antiquissimam & sanctissimam parentem, quod iam studiosè fecimus, ponemus regiones. Quid enim CZĘSTOCHOVIENSEM, GIDLENSEM, Piotrkouiensem, Socaliensem, Miedzyrzyciensem, Xiezomieszensem, adhuc impubem, & nunc recenter ortam, multisquè claram miraculis Podcaminensem, deuotionem decreuit, constituit! Annon Materno dignatæ & dignissimæ Virginis titulo, dexterrima eaquè liberrima in nostrum genus propensio? Lithuania an parum debet Zorauiensi pietati, quæ in Matrem Dei, Matrem totius generis humani, passim exercetur? quid se non debere agnoscit ei, cuius Imaginem religiose habet, Virgini, à qua tot insignes beneficiorum censet ordines? Quid demum hæc, quæ Lezayscensis peripheria suspicit, volunt aliud, quàm ipsam se Poloniæ sospitatricem spontè ingessisse, & benignè (liceat verbo vti) intrusisse in nostrum præsidium. Hæc etenim felix in tenacissimo, & quod facilè vestigio cedit, sabulo excitata munitio, est commune omnium, quos vel afflictio tenet aliqua, vel deuotio in MARIAM, refugium. Vtriusquè rei & exempla & momẽta, Aud. pijssimi, accepistis. Patet enim hic locus omnibus omnium ordinum hominibus, qui siue ad suorum malorum depellendam iniquam sortem huc confluxerint, siue ad suorum animorum declarandum studium, quo in loci Potentissimam præsidem tenentur: illi referunt gratiam, hi præmium. Hîc multi proximè & secundùm Deum acceptam referunt Virgini vel incolu-

incolumitatem ex periculis, vel sanitatem ex morbis, vel libertatem ex durissimâ seruitute, vel certam vitæ rationem, ex temporum & rerum perturbatione miserrimâ, vel morum nouitatem ex fugâ vitiorum, vel diuinæ gratiæ copiam ex virtutum confirmato vsu. In eo enim loco non ad deposcendã tantùm corporis sanitatẽ, ipsaquè externum corrumpentia hominẽ vitia remouenda: Sed multò certè magis ad bene beateque traducẽdam vitæ stationem, Virginis fauor imploratur. Omnes quoscunque vel feliciter aggrediendi, vel ex voto ad suum exitum res deducendi habet desiderium, & principij & finis optatã inde subscriptionem accipiunt. Omnes, quoscunque nouum vitæ genus ingredi cogit ratio, & quos ægritudo longa affligit, sollicitudines & curæ afficiunt, pietas in parentes, liberos, coniuges, socios, clientesquè ad vota impellit, religio in bono erga Ecclesiam animo promouet, atquè excitat ad tranquilla exoptanda tempora Ecclesiæ, hûc, dùm possunt, confluunt, & suis votis munificentissimã Virginem precantur, quantumquè felices animæ precando, vouendo, obtestando, insistendo & adeundo profecerint, minimè se penitere tanti ingenuè fatẽtur. Probauit iste locus, & ceu aliquis gymnasiarcharum circus brabeutæ suos exposuit athletas, vt egregia pietatis, fidei, charitatis, explorarent specimina. Hîc enim, vt in contentioso Anthabatarum spatio, plurimi suam fidem ostẽderunt, pietatẽ declararûnt, charitatẽ explicarunt, MARIÆ fauorem agnouerunt. Hîc nũquam velim ampliùs à brachijs Nutricis huius suæ, vllus Miphiboseth excidat, vt iterum concidat. Hinc palmaria virtutum, & 2. Reg 4.
brabia laborum largissimè sunt reportata, vt non pauci ex hôc beneficiorum alueo, & meliores prodierint, & castiores discesserint. Quare cùm pro tantis meritis nulla posit par reddi Virgini gratia, loquatur pro nobis, & finem orationi nostræ faciat, Diuus Augustinus, & omnes nefarios Iconoclastas sua emphaticâ voce perstringat: *O Beata* MARIA, *quis Tibi iure valeat gratiarum, ac laudum præconia rependere, quæ singulari Tuo assensu, mundo succurristi perdito? quas Tibi laudes humani generis fragilitas persoluat, quæ solo Tuo commercio, recuperandi aditum inuenit! Accipe itaque quascunquè exiles, quascunq; meritis tuis impares gratiarum actiones; & cùm susceperis vota, culpas nostras orando excusa. Admitte nostras preces in sacrarium exauditionis, & reporta nobis antidotum reconciliationis. Sit per Te excusabile, quod per Te ingerimus; fiat impetrabile quod fidâ mente poscimus. Accipe, quod offerimus; redona quod rogamus; excusa, quod timemus; quia Tu es spes vnica peccatorum; per Te speramus veniam delictorum; & in Te, Beatissima, nostrorum est exspectatio præmiorum.*

Serm. de sanct. ser. 15. qui est 2. in Festo Annunci.